S 8.52.D.26

CENTRALE V. E. II

39. K.

NAZIONALE
8
52 D
26
R. BIBLIOTECA CENTRALE V.
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

#18 2.

Digitized by Google

8.52.D.26

GRATIOLI ACCARISII
I. V. D. NOB. BONON.
Aduocatiquè Conciſtorialis

HISTORICVS CONTEXTVS
Trium Bonon. Ciuitatis Gloriarum;

HOC EST


Templi D. Mariæ Virginis de Monte diuinitùs conſtructi.
Imaginis eiuſdem Deiparæ, quam D. pinxit Lucas miraculoſè acquiſitæ.
Vexilliq; Aureæ flammæ Dono Regio recepti.

In lucem nunc editus ab Arnaldo, & Gottifredo de Accariſijs eiuſdem Gratioli in ſexto gradu Nepotibus,

ET

Illuſtriſſimo, Reuerendiſſimoquè D.

FR. CLEMENTI ACCARIGIO
Equiti Hieroſolymitano, & S. D. N. Alex. VII.
Intimo Cubiculario, atq; Pincernæ dicatus.



BONONIÆ Typis Ferronianis. M. DC LXV. Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIME
& Reuerendiſsime Domine.

MAiorum monumenta, diù ſilentij latebris obruta decuit Poſteros in lucem eruere, vt ea penitus dignoſcerentur, quæ longiſſimi iniuria temporis forſan ignorabantur, idq; non tam ad familiarum ſplendorem præſignandum, quam vt prędeceſſorum nomini, famęq; proſpiceretur, etenim quid aliud eſt magnorum Virorum ſepulta memoria, quam famæ ſimul, & nominis triſtis obliuio? Hoc ſiquidem ſignatiſſimo Poſteri didicerunt argumento, eos inter mortales quandoquidem vixiſſe. Nos igitur Gratioli de Accariſijs maioris noſtri nomini conſulturi, libellum hunc, quem ipſe compoſuit, vetuſtati ſubductum è tenebris eruimus, quas inter ſexaginta ferè annos ſupra duo ſæcula delituerat, & publico lucis iudicio de-

demandari curauimus, vt vetuſtiſſima tanti Viri memoria, veluti diuturno obliuionis poſtliminio reuerſa, tandem reuiuiſceret. Tibi Vir Illuſtriſſime opuſculum typis excuſum dicare decreuimus, non tam in obſequium deuotionis, quam in ſpecimen eiuſdem cognominis; Quo factum eſt, vt ſemper noſtra Domus, & tua mutuis animis, & beneuolentiæ officijs, vno ferè ſæculi decurſu ſe ſe inuicem refouerent; Nec nos item à noſtris Maioribus degeneres, qui tuos ſemper coluere, te pariter colere, & deuenerari deſtitimus; Nec noſtri munus obſequij gratia vacauit, quandò cumulato fęnore beneficiorum, benigniſſimum te Patronum, & Patrocinantem experti ſumus. Excipe igitur munus hoc tibi debitum, hocq; ab irriſorum ſana tuâ auctoritatê defendas; Nec abnuas exiguum; nam, & ſi tenue ſit, paruumquè, magnum tamen officia faciunt offerentium. Bononiæ 2. Iunij 1665.

Dominationis Tuæ Illuſtriſs. & Reuerendiſs.

Deditiſs. & deuinctiſs. Serui obſequ.

Arnaldus, & Gottifredus Fratres de Accarisijs.

Digitized by Google

Lectori Beneuolo Impreſſor.

Hiſtoria, cum ſit lux veritatis, teſtis temporum, & vitæ magiſtra, vel leui quidem fas eſt carere mendacio. Etenim cum veterum facta commemoret, quibus Legum ad benè regendos populos, Iuſtitiamq́; , & cæteras Viro Principe dignas virtutes exercendas mens informetur, neutiquam id aſſequetur, ſi protenſa facti veritate falſis res narrationibus ſubtexuerit. Hinc damnandos hiſtoriarum Scriptores iure duxerunt Sapientes, qui vel iniuria veſtigandæ veritatis, vel pertæſi laboris, vel permoti priuatis affectibus, res geſtas, non quemadmodum factæ ſunt, ſed ſicuti vulgi fama venditantur poſterorum monumentis demandare præſumunt, & ità veris falſa commiſcent, vt ſuſcepta enarratio ſit mendacij ſimulacrum, non Imago veritatis, & hiſtorica ſcriptio, quæ verò innixa, factis, inſtruit hominum vitam, deſidioſi culpa Scriptoris turpiter degeneret in fabulam. Nec vlli dubiũ eſt hiſtoricorum negligentiam in perſcrutandis rebus, & veris perſonarum nominibus maximum Domibus, & familijs intuliſſe præiudicium ius, inſignemq́; inflictam iniuriam, quando ea ſubripiuntur laudis, & nobilitatis inſignia, quæ ſecùs proprijs deſcendentibus irrogarentur, & in dubium vertuntur ea, quæ ſi ſcriptorum fides adeſſet, certa ſatis, & indubitata penitus haberentur. Huiuſmodi ſanè naufragium paſſa eſt Accariſiorum familia, quæ noſtris hiſce temporibus tum Bononiæ, tum etiam in multis, & præcipuis Italiæ Ciuitatibus adhuc viget; Etenim nonnulli Scriptores, qui

qua-

Digitized by Google

qualiter Imago Beatæ Virginis vulgò della Guardia fuerit primò in Vrbem inuecta poſteritati commendarunt, quouè auctore hoc inſtitutum peractum fuerit, vt in publicis Eccleſiæ rogationibus deferretur, aſſerunt Gratiolum de Gratiolis tantæ ſolemnitatis promotorem extitiſſe, cum tamen non Gratiolum de Gratiolis, ſed de Accariſijs fuiſſe ea vetuſtis monumentis, & ex publicis Inſtrumentis agnoſcimus, & plenè colligimus. Primus huius defectus auctor fuit hiſtoricus Leander Bononienſis, qui in ſua Italiæ deſcriptione huiuſce facti errorem nulla ſedulitate adhibita typis conſecrauit, & quicquid exteris Scriptoribus minimè latuit conciuis Scriptor ignorare eſt viſus. Siquidem Carolus Chartarius Aduocatorum Conciſtorialium Decanus in ſuo Aduocatorum eorundem Syllabo non Gratiolum de Gratiolis, ſed de Accariſijs fuiſſe teſtatus eſt; Et licet auctor iſte minimè à familia diſſentiat; decipitur tamen in ipſa Parentis retentione, facit enim hunc Iacobi filium, cum non Iacobi, ſed Zacchi Comitis Agnani genitus fuerit. Hinc dictus eſt Gratiolus Zacchi, ſcilicet de nomine Patris. Chartarius deceptus eſt ab Alidoſio in libello de Iuris Conſultis Bononienſibus, & à Valerio Rinerio de Viris claris Bononienſibus, qui notabili quidem ſegnitiei nota hunc fuiſſe conſingunt Iacobi filium, cum à Iacobo ad Gratiolum quattuor generationes enumerarentur. Iacobus enim genuit Michaelem, Michael Antonium, Antonius Zacchum, Zacchus Gratiolum, qui tertius eſt à Iacobo, nec obijciatur idem ſenare Zacchum, ac Iacobum, ſicq; dictum lingua illa vernacula. Nam præterquam quod vetuſtiori tempore fuit in eadem familia Iacobus alter, qui non Zacchus, ſed Iacobus dictus eſt, plenè colligitur Zacchi nomen fuiſſe proprium, non vernacula lingua corruptum ex vetuſtiſ-

ſimo

ſimo Priuilegio ſub anno 1427. *die* 5. *Maij ab Epiſcopo, & Principe Volterano conceſſo, in quo non Iacobus, ſed Zacchus de Accariſijs enunciatur. Itemq; in vetuſto Monumento Gratioli poſito in Eccleſia S. Michaelis de Leproſettis legitur: Sepulcrum D.Gratioli, alias Zacchi, &c. Itemq; Alidoſius ipſe in appendice veluti ſuum correcturus errorem, non Iacobi, ſed Zacchi filium appellauit*, Gratiolo Accariſio era figliuolo di Zacco, *&c. & ſanè cum ſuperiùs hunc Iacobum appellauiſſet, in eodem nomine perſiſtere debuiſſet. Nec credibile eſt tam excultum Scriptorem, & quidem eo tempore, quo Italici ſermonis elegantia colebatur, vti voluiſſe vernaculo nomine rudis, & incomptæ vetuſtatis, debuiſſetq; ſi ita res ſe habuiſſet dicere Gratiolus Iacobi, alias Zacchi filius, ſi idem ſonaret Zacchus, ac Iacobus. Error igitur Leandri anſam præbuit cæteris auctoribus, & fortaſsis Pompeio Vizanio, vt in ſuis hiſtorijs Gratiolum de Accariſijs, ſiue Zacchi de Gratiolis facerent contra vetuſta Gentis huius Monumenta. Verum, vt clarior huiuſmodi facti veritas eluceſcat, antiquiſsimam huius familiæ hic ſubdam Genealogiam, ex qua tibi patebit benigne Lector, & præfatorum negligentia Scriptorum, & Generis Accariſiorum ſplendor notiſsimus. Caput huius Familiæ Princeps, à quo veluti è fonte præcipuo cæteri effluxere fuit Accariſius Accariſius. Hic genuit Guidum Accariſium, qui ſub anno recuperatæ humanæ ſalutis* 1178. *Patriæ Conſul factus, procreauit Guidum huius nominis ſecundum, creatum Conſulem ſub* 1226. *Item genuit Acariſium, Lambertinum, & Gulielmum. Ex Lambertino Bonifacius, Adelardus, Gottifredus, & Aegidius Equites prodiere, Adelardus Gherardum Equitem, Gherardus Iacobum Militiæ Præfectum,*

ctum, Iacobus Michaelem, Michael Antonium, Antonius Zacchum Agnani Comitem, Zacchus Franciſcum, & Gratiolum Aduocatum Conciſtorialem, bis Legatum ad Eugenium Quartum, & Caſtri Franchi Vicarium, Gratiolus Florianum Equitem, Florianus Ludouicum, & Hieronymum, Ludouicus Primogenitus Carolum, & Iacobum, Iacobus Federicum, Federicus Iacobum huius nominis in familia tertium, Hieronymus item Ludouici germanus frater Floriani ſecundo genitus procreauit Florianum huius nominis ſecundum, Florianus Sebaſtianum, Sebaſtianus Florianum tertium, Florianus Arnaldum, & Gottifredum germanos fratres adhuc viuentes. Ex hoc igitur ſtipite Genealogico facilè dignoſces Lector Hiſtoricorum errorem, ipſumq́; Gratiolum non de Gratiolis, ſed de Accarisijs fuiſſe, nec Iacobi, ſed Zacchi filium, & quam tibi legendam exhibemus typis excuſſam compoſuit hiſtoriam, de qua quid ſentiamus audire, ne pigeat, & quamuis huiuſmodi temporum differentia extiterit Auctor, qua latini ſermonis ſplendor ad hiſtoriam conſcribendam quæſitus haud enitebat. Nihilominus eruditè hãc eſſe exaratam, iuxta temporum mores aſſeueramus. Et ſi aliquod orationis vitium adeſſet, ab hiſtoriæ ſinceritate corrigitur. Rerum enim eſt ſimplex, ſincerus, fideliſquè narrator, quem nec loquentem negligere, nec enarrantem deſpicere debes. Continent enim hæc ſcripta veritatem, quæ præcipua eſt. Anima hiſtoricæ narrationis, hanc ergo veritatem, Amice Lector, hoc in opuſculo ingenuam quidem, puramq́; ſatis inuenies. Necnon credam Gratiolum hunc Accariſium hiſtorica fidelitate conſpicuum ingenua animi ſinceritate tres iſtas Bononienſis Ciuitatis glorias conſcripſiſſe. Vale.

In

In Dei Nomine. Amen.

Hoc eſt tranſumptum leuatum ex Originali infraſcripta Hiſtoria, ſeu Chronica ad perpetuam rei memoriam conſeruata in Scrineo antiquo exiſtente in Archiuio publico Ciuitatis Bononiæ, in quo conſeruantur Iura, & Documenta ſpectantia tùm ad publicum, quàm particularium Ciuium intereſſe, cuius quidem tranſumpti tenor eſt ſequens, videlicet.

PROOEMIVM.

CVm nos rerum experientia moneat cuncta in hoc ſæculo occurrentia tranſitoria fore, & ipſorum tractu temporis memoriam non ſeruari, niſi de illis inſcriptis mentio habeatur, cuius rei cauſam conſtat eſſe præcipuam labilem hominum memoriam, ipſorumque naturalem exitum ab humanis, quorumque poſteri præteritorum ignari, nec illorum in ſcriptis à prædeceſſoribus ſuis inſtructionem vllam habentes, ea conſequenter ignorare coguntur.

Huiuſque rei exempla conſtat quamplurima è notoria fore. Et à dignioribus arguendo, quis putat apud

nos, prædeceſſoreſque noſtros mirabilium, & infinitorum in hoc ſæculo geſtorum Glorioſiſſimi Redemptoris Noſtri Domini Ieſu Chriſti extaſſe, & extare memoriam, niſi Beatiſſimi Euangeliſtæ, & alij eiuſdem Diſcipuli illa nobis in ſacris eorum ſcripturis laudabiliter, & copioſiſſimè reuelaſſent, per quorumq; ſcripturas eiuſdem Domini Noſtri Ieſu Chriſti fides abundè præſeruata eſt, & hodie iuſtiſſimè, & indubitatiſſimè præſeruatur, & præſeruabitur in æternum.

Vndè noui, & veteris Teſtamenti, & aliorum omnium, quæ ab initio huius ſæculi euenerunt in hunc vſque diem fuiſſet, & eſſet apud prædeceſſores noſtros, & nos vlla notitia, niſi illa prædeceſſoribus noſtris, & nobis, & Biblia, & aliarum ſacrarum ſcripturarum, Sanctorum Doctorum Eccleſiæ Dogmata laudabiliter indicaſſent?

Nonne & noſtro propoſito efficaciſſimum præſtat argumentum Summorum Pontificum, Sereniſſimorumq; Imperatorum, ac Clariſſimorum Iuris Conſultorum famam, & memoriam conſeruari? tùm per ipſorum Sacrorum Canonum inſtituta, quum etiam per Codices, & Digeſta, tàm Diuini, quàm humani Iuris vtriuſque Canonici, & Ciuilis, ex quorum omnium diſpoſitione tota huius ſæculi Chriſtianorum machina gubernatur, quorum omnium memoria nulla eſſet, niſi ipſorum commendabilia, & notoria in prædictis opera iam dicta, in ſcriptiſq; redacta, eorundemque in toto terrarum Orbe memoriam iuſtiſſimè præſeruaſſent.

Vbi

Vbi tot famoſiſſimorum Doctorum, qui circa Iura prædicta copioſiſſimè, & vtillimè conſcripſerunt fama nunc eſſet, ſi ipſorum lecturæ, opera, & commenta non extarent in ſcriptis?

Vbi tot eminentiſſimorum Medicinæ Doctorum, & Compilatorum, ac Philoſophiæ, Aſtronomiæ, aliarumque liberalium Artium, & ſcientiarum mirabilium profeſſorum fama vigeret, niſi per ipſorum compoſita volumina ſeruaretur?

Vnde tantorum antiquorum Poetarum, & Glorioſiſſimorum Oratorum eſt fama huc vſque ſeruata, niſi ex ipſorum operibus repertis in ſcriptis?

Ex quibus omnibus manifeſtè, ac iuſtè, & verè concluditur, ad cunctorum memoriæ præſeruationem neceſſariam fore ſcripturam.

Hanc ſententiam pulchrè confirmat ſapientiſſimus, & eloquentiſſimus ille Demoſthenes Athenienſis in ſua florida, morali, aurea, & ornatiſſima Oratione ad ſublimiſſimum Regem Macedonum Alexandrum, in hæc verba, videlicet: hæc tamen omnia conficiet, & offuſcabit vetuſtas, niſi litteris tradantur, & memoriæ: verum inter tot millia hominũ, qui vel fidelius laudes tuas enarrabunt, vel melius deſcribent, Athenienſibus, apud quos &c.

Quæ omnia affectuosè conſiderans ego Gratiolus de Accariſijs Bononiæ Ciuis minimus Legum Doctor, Sacrique Conciſtorij Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ antiquiſſimus Aduocatus, ad id promotus officium tempore

fœlicis recordationis D. Gregorij Papæ Duodecimi in Ciuitate Arimini, videlicet de anno Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1414. quo tempore ibidem Romana Curia reſidebat, decreui in hac ſcriptura redigere duo ſingularia memoratu digniſſima, quæ non tantum ad huiuſmodi noſtræ Eminentiſſimę Ciuitatis Bononię excellentiam, quantùm etiam ad veræ Chriſtianæ fidei conſeruationem, & augumentum, ad Glòriam, & honorem reddere notoriè dignoſcuntur, ex quorum in ſcriptis non inſtituta hactenus memoria, & in tuto collocata loco prædeceſſores noſtri fuerunt, & ſunt digni reprehenſione non pauca. Quorumque & ſi in hoc tempore tamen notoria fama, ac quamplurium antiquiſſimorum Ciuium, & tàm Religioſorum, quàm Laicorum clariſſimi, & pleniſſimi relatus, nec non & quædam vetuſtiſſimæ picturæ in certis parietibus antiquiſſimæ Capellæ Altaris Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ infraſcriptæ deuotiſſimæ Eccleſiæ Sanctę Mariæ in Monte, quin etiam in certis antiquiſſimis parietibus ædium Eccleſiæ prælibatæ illa in partem ſatis clarè demonſtrant, prædictorumque fidem faciunt, & notitiam manifeſtam.

Quorumque, omnium ad clariorem, & firmiorem notitiam, & memoriam apud nos, & poſteros noſtros firmiter, & in perpetuum conſeruandam, & in Archiuio huius noſtræ Ciuitatis Bononiæ publico ſituandam propoſui, & vt ſupra decreui illa præſenti ſcriptura facere manifeſta. Quoniam etſi ſola pictura firmentur, calce

pi-

Digitized by Google

picturæ cadente, ipſarum memoria cadit.

Sit ergo prædictorũ duorum digniſſima commemoratio, prima; Qualiter, & quomodo ſupradicta deuotiſſima, & antiquiſſima Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monte extra, & propè muros præfatæ Ciuitatis noſtræ Bononiæ fuit à ſui antiquiſſimo principio ædificata per miraculoſam reuelationem Angeli, & Columbæ infraſcripto modo, videlicet.

Spiritualis Mulier quædam Vidua, diues, nobilis, & honeſta, Ciuis Bononiæ, nomine Domina Picciola de nobili familia de Plateſijs, ſumma deuotione affecta Redemptoris Noſtri Domini Ieſu Chriſti, & Glorioſæ Genitricis Mariæ Virginis, ad eiuſdem laudem, gloriam, & honorem, & ſub ipſius vocabulo Oratorium, & ſeù Heremitorium quoddam incepit tanto, & tali tempore, quod ipſius initij memoria non extat, conſtrui, & ſeù ædificari facere in, & ſuper quoddam ipſius D. Picciolæ Monte vulgariter vocato: il Monte di S. Benedetto, qui Mons eſt directè ſituatus ex oppoſito Montis in, & ſuper quo in præſenti eſt ædificata ſupradicta Eccleſia Sanctæ Mariæ de Monte, & non multum diſtans ab illo, & minus, quod per medium milliare, & ſuper quo Monte Eccleſiæ Sanctæ Mariæ nullum pro tunc erat ædificium Eccleſiaſticum, nec profanum, ſcilicet erat penitus ab omni ædificio vacuus, laborantibuſque Magiſtris in conſtructione præfati noui Oratorij, & ſeù Heremitorij in, & ſuper dicto Monte Sancti Benedicti loco ſuperuenit in

illo

illo vna candidiſſima Columba, & ſplendidiſſima alacri aſpectu intuens Magiſtros laborantes, & locum, & poſt longum aſpectum,& eiuſdem loci reiteratum ſæpiùs tranſcurſum de fruſtulis lignaminum, quæ præfati Magiſtri laborabāt, incepit particulam cum ſuo capere roſtro, & ad locum portare, vbi poſteà fuit rotundum ædificatum Oratorium dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Monte, & in eodem loco cum dictis fruſtulis circulum rotundum in terra facere amplum, & magnum, prout in præſenti tempore eiuſdem Oratorij rotūdi forma deſignat: Quem actum portationis, fruſtularum ab ipſa Columba continuè, & continuis diebus indeſinenter reiteratum, conſiderantes præfati Magiſtri, & de tali actu plurimùm admirantes, acceſſerunt ad locum prædictum, ad quem videbant dictam Columbam accedere cum fruſtulis antedictis, & ibidem viderunt in Terra Circulum antedictum, nec non & dictam Columbam cum ſuo roſtro de dictis fruſtulis eumdem Circulum componentem, de qua re præfati Magiſtri per nimium ſtupefacti inter ſe dicebant: Verè tantus iſte fruſtularum nidus non tantùm Columbis, verùm & Elephantibus conueniret, quibus Magiſtris poſteà ad ſui laborerij locum reuerſis, ſuperuenit in eumdem locum præfata D. Picciola, optans videre, quomodo præfati Magiſtri proficiebant in opere per eam ſibi commiſſo; Qui præfati Magiſtri eidem actum Columbæ ſerioſiùs narrauerunt, de quo actu præfata Mulier, tanquàm ſpiritualis, & docta vehementer admi-

mirata fuit, & vix credere poterat, niſi quod ipſis omnibus inſimul ſic loquentibus, ecce ſuperuenit Columba locum illum, iuxta ſuum conſuetum morem alacri intuitu aſpiciens, & diſcurrens, fruſtula tandem, vt conſueuerat, ſumpſit in ore, & cum illis ad locum redijt conſuetum, quemque actum pluries fecit, dum ibi præfata Mulier reſideret, quam Mulierem orantem, & petentem præfati Magiſtri ad nidum, & ſeù circuli duxere locum, qua ibi vna cum præfatis Magiſtris aſtante, ecce Columba rediens à loco fruſtularum cum roſtro fruſtulis pleno nidum ex illis, iuxta conſuetum circulariter componebat, quibus ſic inſpectis præfata Mulier vna cum dictis Magiſtris ad incepti ſui operis rediere locum.

Quæ omnia conſiderans, & in ſua mente reuoluens præfata ſpiritualis Mulier, & de iam dicto actu magnum caſum faciens, quamprimum in Ciuitatem Bononiæ redijt, præſentiam adijt D. Bononiæ Epiſcopi, & ſibi auditum, & viſum Columbæ actum plenariæ nunciauit, quem actum præfatus D. Epiſcopus vix credere potuit, & tandem iniuncto per eum Mulieri, quod ſi pro ea mitteret ad ipſum redire deberet, ab ipſo D. Epiſcopo licentiata receſſit.

Sequenti autem die præfatus D. Epiſcopus, præſuppoſita veritate facti, dictum caſum non parùm exiſtimans, ſumptis ſecum, quos voluit ſocijs, ad pręfati incepti operis locum acceſſit, vbi laborantes Magiſtros interrogauit, ſi verùm erat id, quod à dicta Muliere audiuerat de Co-

lum-

lumba, cui præfati Magiſtri ſic eſſe clariſſimè, & efficaciſſimè reſponderunt, & ipſis inuicem ſic loquentibus, ecce in illorum medio Columba ſuperuenit, & ſtetit, quæ poſt diſcurſum locum, iuxta conſuetum fruſtulas ore cępit, & cum illis nidi conſuetum ſeceſſit ad locum, ad quem inſtantem D. Epiſcopum vnà cum ſuis ſocijs præfati Magiſtri cum debita reuerentia ſociarunt: quibus omnibus ibidem aſtantibus redijt Columba cum fruſtulis, & cum illis, iuxtà conſuetum, circulum componebat.

Quibus omnibus viſis præfatus D. Epiſcopus ex inde receſſit plurimùm ſtupefactus, & de tali actu vehementer admirans, & de illis magnam conſiderationem, & magnum caſum faciens.

Poſt quæ ſequenti die præfatus D. Epiſcopus ad ſe vocari fecit Priores quoslibet quarumcumque Religionum Ciuitatis Bononiæ, & quoſcumque alios Clericos, & Heremitas reputatos bonæ, & ſanctæ vitæ, & illis omnibus coram ipſo congregatis, ipſis caſum, & actum Columbæ retulit, & propoſuit, quem ipſe Epiſcopus non credens viſurus, acceſſit ad locum, quibuſque omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ iniunxit, ac illos ſatis humaniter hortatus fuit, quod ipſi, & ipſorum omnes, & ſinguli, ac ipſorum Fratres, & Socij deberent in ſuis Eccleſijs, & habitationibus Orationes facere, & preces deuotas effundere ad Altiſſimum Creatorem noſtrum, vt dignaretur in terris reuelare, quid caſus talis ſignificaret in Cœlis; quem caſum præfatus D. Epiſcopus ſe præ nimium

mium exiſtimare dixit, ſubiunxitque eis, quod ſi quis ex eis in prædictis vllam reciperet viſionem,& ſeu reuelationem, illam quamprimum eidem D. Epiſcopo referre deberet, qui in hoc, & in alijs quibuſcunq; dixit, ſe pro poſſe paratum, & diſpoſitum ſequi voluntatem Altiſſimi Creatoris.

Qui omnes, & vna voce vnanimiter reſpondentes dixerunt, ſe non minus, quam ipſe D. Epiſcopus de tali actu caſum, & admirationem facere, & quod votiuis animis iniunctas ſibi orationes, & preces effunderent, & effundi facerent, orantes Altiſſimum Creatorem, vt ipſos orare dignos faceret, & quod ſi quis ipſorum reperiretur tali reuelatione dignus, ipſi D. Epiſcopo quamprimum poſſet, votiuè referret ijſq; omnibus dictis,& factis,præfati omnes licentiati,& Epiſcopali benedictione ſuffulti, ad propria domicilia remearunt.

Mane autem immediatè ſequenti quidam homo ſanctæ vitæ, & cuius Ordinis fuerit ignoratur, niſi quatenus in quibuſdam antiquiſſimis ſupradictis picturis non ſatis clarè dignoſcitur, in quibus hæc hiſtoria ſatis truncatè, & incompletè fuit longiſſimo tempore picta, & dictæ picturæ ſunt adeò antiquatè, quæ cum difficultate videntur. Acceſſit ad præfatum D. Epiſcopum, eidem ſatis humaniter, & humiliter referens, qualiter nocte proximè præcedenti circa horam matutini ſibi in ſomnis, & viſione apparuit vnus Angelus veſte inductus candida, & ante eum ſtans in aere vna candidiſſima Columba certas ligneas fruſtulas in roſtro portans, qui Angelus dixit eidem: Surge, & mecum

venij; & eundem captum per capillos, ſecum duxit ad incepti Oratorij locum dicens eidem: Noſtri Altiſſimi Creatoris voluntas eſt, quod inceptum in hoc loco Heremitorium fiat in, & ſuper Monte illo, quem Montem dictus Angelus eidem ſua oſtendit Angelica manu, videlicet Montem in, & ſuper quo in præſenti tempore ædificata eſt Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monte, & ex eodem incepti Oratorij Monte deſcendens, & eumdem ſecum ducens, per viam, & locum, vbi eſt puteus quidam, ſiuè Ciſterna conduxit ad alium Montem, videlicet illum, in & ſuper quo in præſenti tempore eſt ædificata dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ, ſcilicet pro tunc ibi nulla erat Eccleſia, nec quoduis aliud ædificium profanum, vel religioſum, & oſtenſo ſibi loco in Monte prædicto, in quo ſupradicta Columba, cum ſupradictis fruſtulis cum roſtro compoſuerat, circulum ſupradictum alternata manu oſtendit, & dixit eidem: Altiſſimi Creatoris voluntas eſt, quod inceptum, & oſtenſum tibi Oratorium, hoc fiat in loco, & his factis, & dictis, ab eiuſdem oculis euanuiſſe Angelum, & Columbam ſibi viſum fuit, ſtatimq; expergefactus à ſomno, & vehementèr admirans de huiuſmodi viſione, recordatus fuit iniuncti ſibi, & alijs religioſis præcepti per D. Epiſcopum, ad eumdem deliberauit adire, ſicq; mane ſequenti acceſſit ad illum, & eidem cum debita reuerentia, & deuotione humili, viſionem iam dictam reuelauit, de cuius viſionis relatione præfatus D. Epiſcopus fuit ſummè lætatus.

Statimq; præfatus D. Epiſcopus audita reuelatione

præ-

prædicta, ad ſe conuocari fecit religioſos omnes illos, & alios, quos priùs vocari fecerat, & eiſdem reuelationem prædictam ſatis auidè nuntiauit, conſultans eoſdem quid faciendum videretur eiſdem, qui omnes in vnum concordantes conſilium præbuerunt, dicentes, quod ipſe D. Epiſcopus benè faceret dare operam cum dicta muliere, quod voluntatem ſequeretur Altiſſimi Creatoris illi ſecundo viro reuelatam in ſua viſione prædicta.

Qui D. Epiſcopus auditis, & intellectis omnibus ſupradictis, ſtatim ipſam D. Picciolam ad ſe vocari fecit, ſibiq; auditam præfatam viſionem, & reuelationem ſatis affectuosè intimauit, eamdem pro toto corde hortatus fuit, quod ipſa inhærendo voluntati diuinæ, per Columbam, & Angelum nuntiatæ, Heremitorium, & ſeù Oratorium, quod ſupra iam dicto ſuo Monte inceperat facere fabricari, deberet in, & ſuper Monte deſignato per Angelum, & Columbam ædificari facere.

Cui D. Epiſcopo præfata Mulier ſatis humiliter, & deuotè reſpondit ſe, libentiſſimè, & cordialiſſimè id facturam, ſi Mons ille ſuus eſſet.

Eidem Mulieri præfatus D. Epiſcopus replicauit, & dixit, quod ex quo ipſa cum ſumma deuotione deliberauerat facere fabricari Oratorium vnum ad reuerentiam, & honorem Glorioſæ Virginis Mariæ, quod ipſa tanquam diues, & potens, benè faceret emere Montem illum pro huiuſmodi ædificatione ſupra dicto Monte per Columbam, & Angelum deſignata, quæ res tenderet ad ſui, &

 ſuo-

Digitized by Google

ſuorum, & quo ad animarum ſalutem, & quo ad corporum extollentiam, ac gloriam, & honorem.

Cuius D. Epiſcopi ſuaſionibus, & dictis prefata Mulier deuotè annuens reſpondit, & dixit, ſe Burſæ non parcituram, ſed totis viribus quæſituram iam dictum emere Montem, & ſuper eodem deſignatũ Oratorium per Angelum, & Columbam facere fabricari.

Sicq; conſequenter fecit, emit, & ædificari fecit, faciens lignamina, ac lapides, & cementa ex Monte, & loco incepti prius Oratorij tolli, & ad iam dictum deſignatum Montem ſollicitè, & affectuosè portari, & ſuper eodem Monte, & præcisè in loco compoſiti cum fruſtulis circuli per Columbam rotundum, quod in præſenti viget ædificium, & ſeu Oratorium conſtrui, & ædificari fecit.

Fuit igitur, & eſt dictum Oratorium rotundum, primum ædificium, & prima pars ædificata in dicto Monte, & in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monte, & in eodem Oratorio in loco præcisè, vbi in præſenti eſt porta, & ſeu oſtium, per quod his temporibus de dicto Oratorio habetur tranſitus, ad aliam partem dictæ Eccleſiæ erat Altare, & tabula figuræ præfatæ Virginis Glorioſæ, & quæ per auditam, & vndiq; diuulgatam dictæ Eccleſiæ ædificationem per ſupraſcriptam miraculoſam reuelationem Angeli, & Columbæ creuit in immenſum eiuſdem loci deuotio per omnes circumſtantes partes, & continuò ad eum locum ex deuotione confluebat multitudo innumerabilis perſonarum, vt ſic neceſſe fuerit dictam Eccle-

ſiam

ſiam augeri, ſicque aucta fuit, & amoto dicto Altari Glorioſæ Virginis Mariæ ex iam dicto ſuo loco, & in eodem loco facta porta fuit, per quam vt prædictum eſt habetur tranſitus ad aliam partem auctam, in qua poſtea collocata fuit, vt in præſenti eſt tabula figuræ præfatæ Virginis Glorioſæ in, & ſuper principali Altari auctæ Capellæ.

Quæ omnia videns, & diligenter conſiderans præfatus D. Epiſcopus, affectuosè conuocari, & ſuis precibus requiri fecit D. Archiepiſcopum Rauennatem, D. Epiſcopum Ferrarienſem, & D. Epiſcopum Imolenſem, & ipſi omnes inſimul cum præfato D. Epiſcopo Bonon. & cum magna aliorum multitudine Clericorum, cum magna, & ſolemni deuotione dictum Oratorium, & Eccleſiam, & Altaria in eis exiſtentia conſecrarunt cum ſolemnitatibus opportunis, & in ſimilibus cõſuetis in die Vigiliæ Aſſumptionis præfatæ Virginis Glorioſæ, & ſub eiuſdem nomine, & vocabulo, & hinc eſt, quod à dicto tempore citrà in die præcipuè ſolemnitatis prædictæ, & quarumcumq; aliarum Feſtiuitatum, & ſeu Solemnitatum, ac Vigiliarum præfatæ Virginis Glorioſæ, & quaſi ſingulis temporibus, & diebus fuit, & eſt maximus perſonarum concurſus, non tantum Ciuitatis, & Communis Bononiæ, ſed etiam omnium aliarum circumſtantium partium, & locorum ad Eccleſiam antedictam.

Et quis conſideret, & ſeu conſiderare poſſit, aut debeat tantæ, & talis deuotionis eiuſdem loci cauſam, quæ deuotio fuit è tãto tempore citrà, quod eiuſdem principij memoria

BIBLIOTECA NAZ. V. EMANUELE ROMA

moria non exiſtit, niſi auditam, & vndiq; diuulgatam veram, manifeſtam, & miraculoſam illius ædificationem per dictam reuelationem Angeli, & Columbæ, nullæ eius reperiuntur Bullæ Papales, & ſeu cuiuſuis Antiſtitis litteræ conceſſionis alicuius Indulgentiæ eidem Eccleſiæ indultæ quouis tempore, ex quibus omnibus manifeſtè, & verè concludi poteſt, quod talis Eccleſiæ Indulgentia cauſata, & data fuit ab Altiſſimo Creatore, qua nulla maior, nulla vberior eſſe poteſt propter iam dictam ædificationem, ſuo iuſſu, ſuaque diuina prouidentia emanat.

Taliſque ædificationis, & reuelationis pleniſſimam, & clariſſimam Chronicam extaſſe teſtantur duo antiquiſſimi Viri bonæ famæ, bonæque vitæ, Bononiæ Ciues, quorum vnus eſt venerabilis Religioſus Ordinis Sancti Benedicti, nomine D. Bartholomæus quondam Nannini de Bononia, Monachus Sancti Fælicis, ætatis, vt ipſe mihi dixit, annorum ſeptuaginta quinque, & vltrà, qui dicit mihi, quod tempore ſuæ teneræ ætatis ſtetit pro Clerico in eadem Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monte pluribus annis, dum dicta Eccleſia gubernabatur per Abbates Monaſterij, & ſeu Abbatiæ S. Fælicis Ciuitatis Bononiæ, & quod tempore tanto ibi ſtetit, quod factus fuit Monachus dictæ Abbatiæ, & poſtea fuit Rector Parochialis Eccleſiæ S. Laurentij Portæ Sterij, & vocatus fuit D. Bartholomæus, & poſtea fuit Rector Parochialis Eccleſiæ Sancti Nicolai Portæ Sterij ſtratæ S. Fælicis, & quod ipſe dicto tempore, in quo ſtetit pro Clerico in dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ in Mon-

Monte, pluribus, & infinitis vicibus vidit, & legit dictam Chronicam ſcriptam in fine vnius Euangeliſtarij, & Epiſtolarij, qui liber tunc erat in Sacriſtia dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Monte, & quod in dicta Chronica omnia ſupradicta de ædificatione, & reuelatione prædictis, & vt ſupra ſcripta erant de vna pulchra littera, & quod poſtea dici audiuit, qui dictus liber exportatus fuit de dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monte vna cum pluribus alijs libris, & rebus dictæ Eccleſiæ tempore, quo in dicta Eccleſia fuit facta Baſtita per gentes Armigeras, & Hoſtiles Papæ Martini contra Bononiæ Ciuitatem, & quod ab inde citra nunquam ſciri potuit quid factum fuit de libro prædicto.

Hæc eadem atteſtatur, & affirmat alter ex prædictis duobus viris antiquis, nomine Magiſter Bartholomæus, quondam Hieminiani de Primadiſijs bidellus, & ſeu vendens libros, & quandoq; etiam exercuit artem miniandi, & quandoq; artem Chartolariæ, vendens membranas & chartas de papiro in Platea Bononiæ apud reſidentiam Notariorum, Bononiæ Ciuis Capellæ Sancti Archangeli, ætatis, vt ipſe dixit mihi, annorum nonaginta quattuor, qui ſimiliter dicit mihi, quod dum ipſe paruulus eſſet tempore plurium Abbatum prædictæ Abbatiæ Sancti Fælicis, ſub quorum cura dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monte tunc gubernabatur, ſtetit, & ſeruiuit pro Clerico cum pluribus Sacerdotibus, qui tunc ad cellebrandum Miſſas in dicta Eccleſia reſidebant, & quorum

om-

omnium Abbatum nomina narrat ad plenum, & qui ſtetit pro Clerico in eadem Eccleſia pluribus, & pluribus annis, & quod dictis temporibns pluribus, & infinitis vicibus dictam Chronicam vidit, & legit in vno libro exiſtēte in Sacriſtia dictæ Eccleſiæ, in quo erant ſcripta dumtaxat Euangelia, & Epiſtolæ, & in dicti libri fine erat ſcripta Chronica prædicta de vna optima littera, & quod in dicta Chronica omnia præcisè, vt ſupra dictum eſt, effectualiter ſcripta erant. Quid autem factum fuerit de dicto libro poſt eius ex dicto loco diſceſſum, ſe ignorare dicit, ſed dicit ſe audiuiſſe, quod dictus liber fuit de dicta Eccleſia exportatus tempore, quo in eadem Eccleſia fuit facta Baſtita per gentes Papæ Martini; immò plus dicit, quod poſtquam intellexit de perditione dicti libri, ipſe pluries iuit quærendo per apothecas aliorum Bidellorum vendentium libros in Ciuitate Bononiæ, ſi dictum librum reperire poſſet, & nunquam inuenit, de quo ſummè dolere dixit.

A prædictis autem duobus viris fide dignis, & perſonis honeſtis præcisè, vt ſupra ſcripſi, ſenſi, audiui, & intellexi ego Gratiolus ſupradictus, & ſecundum eorum relatus ea, vt ſupra ſeriosè, & ineptè in præſenti ſcriptura compoſui. In fidem, & teſtimonium prædictorum, ac in ipſorum perpetuam notitiam, & memoriam, ex quorum duorum Virorum dictis, & atteſtationibus ſupradictis, ac ex ſupradictarum antiquarum picturarum inſpectione veriſſimè, & clariſſimè omnibus conſtare poteſt, & debet ſu-

pra-

pradictam ædificationem,vt ſupra factam fuiſſe per ſupradictam miraculoſam reuelationem Angeli, & Columbæ, de qua re noſter hic Bononienſis Populus non parùm lætari, & exultare poteſt, & debet, quod hanc Ciuitatem, & ipſius Ciuitatis Populum fuerit dignatus Altiſſimus tanta, & tali gratia ſingulariſſima inſignire de tàm alta, & tàm miraculoſa talis Eccleſię ædificatione ad eiuſdem ſuæ Genitricis Virginis Mariæ gloriam, & honorem.

Si quis autem de prefata miraculoſa ędificatione dictæ Eccleſiæ per dictam reuelationem Angeli, & Columbæ in aliquo dubitaret, audiat quæſo rem veriſſimam, & clariſſimè viſam, & per plures, & plures proximis præteritis temporibus luculenter inſpectam,cum enim eo tempore, quo Ego Gratiolus prædictus, & alij Socij mei Officiales ſuper Proceſſionibus, oblationibus, & fabrica dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Monte incepimus facere fabricari, & ædificari Capellam nouam apud iam dictam antiquam Eccleſiam ,videlicet de Anno 1444. & de Menſe Martij dicti Anni,ſtatim initiatis fundamentis Capellæ ſupradictæ, apparuit ibi vna candidiſſima, & pulcherrima Columba eadem fundamenta alacri inſpiciens viſu,ac per illa ab vno capite vſque ad aliud reiteratis ſæpiſſimis vicibus tranſcurrens indeſinenter, & ita ibidem domeſticè reſidebat aſtantibus illic Magiſtris, & Operarijs, & pluribus ex Venerabilibus Patribus Monacis Monaſterij S. Proculi, necnon & Ser Bartholomeo de Caſtagnolo, & me Gratiolo prædicto, duobus ex Officialibus ſupradictis,ac

ſi inter Columbas alias continuè reſediſſet,qui nos omnes ſupradicti prædicta vidimus, & ſatis admiratiuè per ſæpè perſpeximus,, & potiſſimè ego Gratiolus, qui pro tunc quaſi continuò dictis laborantibus aſſiſtebam. Actumque iam dictũ continuatis temporibus, ſingulisq; diebus dicta Columba mirabiliter exercuit, donec, & quouſq; fuerint parietes, dictæ Capellæ vſque ad voltorum initia eleuatè.

Præfatæ Columbæ apparitionem, & aduentum, ac ipſius talis ædificij continuum, & gratum inſpectum non aliud, nec aliter meo debili iudicio iudicaui, quam quod noſtri exuberanti gratia Saluatoris eadem Columba, quæ initiati Oratorij fuerat nunciatrix, veniret nouum aſpicere opus, & nobis primæuos ipſius Columbæ actus rememorare, & refigurare in memoriam, & recognitionem ſupradictæ primæuæ ædificationis, vt ſupra diuinitus emanatæ.

SIt igitur, ſecundum ex ſupradictis duobus memoratis dignis, videlicet, quomodo, & qualiter de deuotiſſima Tabula figuræGlorioſæ Virginis Mariæ, quæ eſt ſuper Altari Eccleſiæ Sancti Lucæ ſitæ in, & ſuper Monte della Guardia, Ciuitatis Bononiæ, aliàs vulgariter vocato, il Monte di S. Luca, & picta, vt dicitur, manu præfati S. Lucæ Cancellarij pręfatæ Virginis Mariæ, fuerit trãslata de, & ab Eccleſia Sanctæ Sophiæ Ciuitatis Conſtantinopolis ad Ciuitatem Bononiæ, & ſucceſſiuè portata, collocata, & aſſignata in, & ſuper dicto Altari dictæ Eccleſiæ S. Lucæ

Pro

Pro cuius rei pleniſſima intelligentia, & informatione veridica, ſciendum eſt, vt ego Gratiolus ſupradictus audiui, & intellexi, iam ſunt quinquaginta anni, & vltrà, à quodam nobiliſſimo, & antiquiſſimo Viro, Ciue Bononiæ, vocato Ser Zazolo, de bona, & antiquiſſima familia illorum de Beccadellis, ætatis tunc, vt ipſe dixit mihi, annorum nonaginta ſeptem, homine magnæ intelligentiæ, & memoriæ, morigerato, ſcientifico, & honeſto, & qui, vt ex ſuis dictis concepi, cum quo ſæpiùs conuerſabar, præſummè delectabatur in Chronicis, & rememorationibus rerum antiquarum, & præcipuè de ſupradicta, & infraſcripta re dixit ſpecialem Chronicam in ſcriptis habere, cuius copiam ex mei ſimplicitate, & inaduertentia non quæſiui, de quo præſummè in præſenti doleo, & contriſtor, cuius Chronicæ talem eſſe dixit effectum, videlicet.

Quod erat à iam diù in Eccleſia Sanctæ Sophiæ principali, & maiori gloria Conſtantinopolitanæ Ciuitatis ſupraſcripta tabula dictæ Eccleſiæ parietibus appenſa, & quod ſub eadem tabula erat ſcriptura in pariete prædicto infraſcripti tenoris, & effectus, videlicet. Quod dicta tabula manu Sancti Lucæ picta, debebat locari, & ſituari in Eccleſia Sancti Lucæ ſuper Monte della Guardia, & dicta ſcriptura non aliter declarabat, in qua parte, & ſeu in qua Prouincia huiuſmodi eſſet Eccleſia, nec dictus Mons della Guardia. Ob id principales Rectores, & dictæ Sanctæ Sophiæ Eccleſiæ Sacerdotes ſæpiùs, & cum diligentia inueſtigarunt à multis, vbi hæc Sancti Lucæ foret Eccleſia,

Monſque prædictus, & non aliter informati eamdem tabulam in iam dicta Sanctæ Sophiæ Eccleſia, & iam dicto ſuo loco ſtare continuò promiſerunt; tandem, ſicut placuit Altiſſimo Creatori, qui prædeſtinatum ſuum iam dictæ tabulæ locum, & ordinatam deſuper reſidentiam voluit reuelari, & ipſam in dicto ſuo prædeſtinato loco locari: Ecce à caſu in eamdem Sanctæ Sophiæ Eccleſiam ſuperuenit Seruulus quidam Dei indutus veſte, & habitu heremitali, qui heremita, inſpecta dicta tabula, & viſis, & lectis iam dictis ſupraſcriptis eiſdē litteris, bono, & deuoto ſpiritu ductus, dictæ Eccleſiæ Sacerdotes adiuit, & ipſis ſatis humili ſermone propoſuit, & dixit, quænam eſſet cauſa, quod tabulam illam non facerent in deſcripto loco locari, cui Heremitæ, præfati Sacerdotes ſatis humaniter reſponderunt, quod iam dictum locum penitus ignorabant, cum tamen vbi eſſet, cum ſumma diligentia quæſiuiſſent à pluribus informari.

Quod audiens deuotus Heremita, dixit, quod vbi placeret eis, velle ſibi dictam tabulam aſſignari, intendebat ad animæ ſuæ ſalutem pro poſſe cum illa, etiam ſi expediret vniuerſas Mundi tranſcurrere partes, quærere in tantum, quod vbi deſuper datum eſſet ſibi prędeſtinatum iam dictum locum reperiret. Cuius Heremitæ petitioni præfati Sacerdotes ſatis auidè annuerunt, qui Heremita traditam ſibi tabulam cum ſumma deuotione, & feruenti affectu iam dictum prædeſtinatum tabulæ locum cupiens reperire, eandem tabulam cum corrigijs alligatam, & ſatis ho-

honeſto modo velatam ſuis aſſumpſit humeris, & ex iam dicta Conſtantinopolitana Vrbe diſcedens cum iam dicta tabula, plurimas Prouincias, & plurima loca diſcurrit ſatis diligenter, quærens à cunctis ſibi obuiantibus informari vbi nam hic locus, & Montis, & Eccleſiæ foret.

Qui Heremita poſt multa loca diſcurſa locum non reperiens iam quæſitum, & quaſi diffidens non poſſe illum amplius reperire, diuino motu ductus, Romanam Vrbem deliberauit adire cum propoſito dictam tabulam aſſignandi, & deponendi in aliqua parte Eccleſiæ Sancti Petri, ex quo quæſitum locum reperire non poterat, & cùm Romanam Vrbem eſſet ingreſsus, & cum dicta Tabula tranſiret ante Palatium Senatoris Vrbis, qui tunc erat vnus notabilis Miles Bononiæ Ciuis nomine Dominus Paſſipouerus de Nobiliſſima Familia illorum de Paſſipoueris antiquiſſimorum Ciuium Bononienſium à caſu ex promiſſione diuina tranſeuntem Heremitam aſpexit, & ſecũ aſtantibus ſurridendo dixit; verè ridiculoſam, & inuſitatam rem video, videlicet Heremitam vnum ſuper ſuis portantem humeris targam, in qua pictum arbitror pro prodictione virum tanquam ſi cum eo eſſe optet in prælio, & ijs dictis, ſtatim Heremitam ad ſe vocari iuſſit; cui Heremitæ Senator ioculosè inquit; vehementer admiratus ſum Pater Heremita, qui in heremitali incedens habitu, ſuper veſtris portetis humeris pictum aliquem tanquam ſi cum eo prœlium optetis habere.

Cui D. Senatori Heremita, cum ea, cum qua debuit

re-

Digitized by Google

reuerentia, & humili ſermone reſpondit: Verè mi Domine pictum non porto virum, cum quo rixari optem, ſcilicet pictam porto figuram Mariæ Virginis Glorioſæ, & leuato à Tabula velo, illam oſtendit Senatori, ex cuius figuræ inſpectione Senator maxima, & mirabili deuotione ſuccenſus, Heremitam affectuoſiſsimè, & inſtantiſſimè interrogauit quænam eſſet portationis huiuſmodi Tabulæ cauſa, cui Domino Senatori Heremita reſpondens, totius facti ſeriem propalauit, & quod in effectu quærebat, in qua parte eſſet ſupradictus Mons vocatus il Monte della Guardia, & ſuper quo Monte dicitur eſſe Eccleſia Sancti Lucæ, & in qua Eccleſia dicta Tabula ſuam reſidentiam debebat habere.

Quibus auditis, & intellectis Senator ex quadam animi dulcedine, ac deuotione, & compunctione commotus, lachrymas ibidem patenter emiſit, videns, & cognoſcens ſibi à Deo datam, & paratam eſſe gratiam patefaciendi, & intimandi quæſitum Heremitæ locum in Patriæ ipſius Senatoris Gloriam, & honorem; Ipſumque Heremitam ſecum humaniter commenſari fecit, & eidem dixit, Pater Heremita poſt ſupradictum prandium vobis dulces exibebo fructus, quoniam ad quæſitum cum veſtro magno ſudore locum cum Dei gratia vos conduci faciam, & optimè ſociari; quæ omnia audiens Heremita præ nimia lætitia fleuit, tamen ſatis iucundo, & lætanti animo cum Senatore comedit ſuæ exonerationis, ſuæq; deuotionis fructum, & tempus expectans.

Sum-

Sumptoque prandio Senator his verbis Heremitam extitit allocutus. Pater Heremita, hæc dies ſingularis, & læta ab Altiſſimo data eſt, qui Deo, & eius Glorioſæ Genitrici Virgini Mariæ, Patriæque meæ, ac vobis, & mihi gratam rem faciam. Noueritis etenim, quod quæſita per vos Eccleſia Sancti Lucæ, ſituata ſuper Monte vulgariter detto il Monte della Guardia, loco in notiſſimo eſt, iuxta nobiliſſimam, & famoſiſſimam Bononiæ Ciuitatem, locum mei, & meorum Originis, & à dicta Ciuitate per tria milliaria diſtans, eſt enim eminens, & altus Mons, & omnes circumſtantes Montes in altitudine ſuperans, vt ſic propter ipſius per eminentem altitudinem il Monte della Guardia, nomen aſſumpſerit; & in dicti ſummitate Montis ſituata eſt Eccleſia Sancti Lucæ, in qua ſecundum veſtra dicta hæc deuotiſſima Figura, manu, vt dicitis, Sancti Lucæ picta, ſituanda, & collocanda videtur, & ſic propter prædicta veſtri deſiderij implementum firmiter ſperare, & videre poteſtis.

Pro quorum omnium prædictorum effectuali expeditione prædictus D. Senator Heremitæ dixit: duos parari faciam Equos, ſuper quorum vno Vos Pater Heremita cum veſtra ſupradicta tabula equitabitis, & ſuper alio vnus meus famulus equitabit, qui vna vobiſcum veniet, & vos ſociabit vſq; ad præfatam Bononiæ Ciuitatem, & in mea Domo, vbi eſt mea familia, deſcendens ab Equo, & ſucceſſiuè prẹſentabitis vos vna cũ dicta Tabula coram MM. DD. Antianis antedictæ noſtræ Ciuitatis, quibus meas

ſcribo

ſcribo litteras, veſtrum ijſdem intimans acceſſum ad Magiſtratus . . . . . . ac deuotè recomittetis, veſtriq; ad ipſos acceſſus cauſam plenariè nunciabitis.

De quibus omnibus Heremita cum ſumma lætitia gratias plurimas egit Deo, & Domino Senatori, & ab ipſo Domino Senatore licentiatus, iter verſus Bononiam cum Tabula, & cum Socio ſumpſit, in quam Ciuitatem quamprimò applicuit, iuxta Senatoris ordinem, & mandatum collocatis Equis in Domo, & familia Senatoris, vnà cum Tabula, & Socio ad Magnificorum DD. Antianorũ præſentiam ſe contulit, & eiſdem traditas ſibi à Senatore litteras, & deuotam Tabulam præſentauit.

Qui MM. DD. Antiani lectis, & intellectis litteris Senatoris, & audita Heremitæ ambaſciata, ac ijſdem per ipſum Heremitam totius facti Tabulæ ſerie nunciata, & ſucceſſiuè eiſdem dicta præſentata Tabula, eamdem Tabulam cum ſumma deuotione, & veneratione prænimia ſuſceperunt, & gratias multas de tanto, & tali dono agentes Altiſſimo, ſummo quodam Diuino motu, alacritate prænimia, lacrymas mirabiliter emiſerunt, & dicta Tabula in honeſto, & conuenienti loco, & pro tunc locata, cum dupplerijs pluribus ante illam ardẽtibus, eumdem Heremitam in Palatio eorum reſidentiæ quouſq; ex Bononia diſceſſit ſatis honorificè recipi, & continuè commenſari fecerunt, ſubſequenterq; ordinarunt, & fieri fecerunt præfati MM. Antiani, & alia Ciuitatis Bononiæ Regimina ſolemniſſimas Proceſſiones cum dicta Tabula per Ciuitatem Bononiæ

niæ tribus diebus cum Clero, & vniuerſo Populo. Quibus Proceſſionibus finitis, fecerunt dictam Tabulam portari toto dicto Clero, & dicto vniuerſo Populo ſociatam, & duplerijs infinitis ad dictam Eccleſiam Sancti Lucæ ſitam in, & ſuper dicto Monte della Guardia, alias vulgariter detto il Monte di San Luca, & in, & ſuper Altari dictæ Eccleſiæ cum magna veneratione locari, ſupradictis omnibus dicto Heremita continuò deuotiſſimè aſſiſtente.

Quibus omnibus ad Ciuitatem reuerſis præfatus Heremita à præfatis Magnificis Dominis, de certa charitatiua prouiſione ſuffultus, & licentiatus, ad ſua propria domicilia remeauit. Pro cuius anima obnoxius eſt vniuerſus quouis tempore Bonon. Populus, ad Altiſſimum deuotiſſimas effundere preces, cuius opere, & diligentia, aſſiſtẽte tamen potiſſimè noſtri gratia Saluatoris, hanc Ciuitatem, & Populum, dictamque Eccleſiam Sancti Lucæ tanto, & tali dono tam deuotiſſimæ Tabulæ laudabiliter inſigniuit, cuius Anima in pace quieſcat. Amen.

Reſtat huic addere, qualiter, & quomodo, & qua de re dicta Tabula fuerit poſtea de dicta Eccleſia Sancti Lucæ ad hanc Ciuitatem Bonon. aliquando portata, & quo tempore, & quot, quantaſque, & quales mirabiles gratias hìc Bononiẽſis Populus fuerit ex deuotiſſimis Proceſſionibus cum eadem Tabula poſteà pluries, & ex varijs cauſis factis, notoriè conſecutus.

Et pro huius partis veridica, & plenaria informatione non expedit ab alio, quantum à memetipſo clariſſimum, &

veriſſimum quærere teſtimonium, quia in omnibus præſens fui, & vt fierent pro poſſe operam dedi iſtis temporibus, & modis, videlicet.

Cum enim eſſem denuò MM. DD. Antianorum huius noſtræ Ciuitatis Bononiæ de anno Domini Noſtri Ieſu Chriſti M. CCCC. XXXIII. pro duobus menſibus, videlicet Iulij, & Auguſti eiuſdem anni, in quo tempore Reuerendiſſimus in Chriſto Pater D. Marcus Condulmerius Prothonotarius Venetus, Archiepiſcopus Auinionenſis erat in præfata noſtra Ciuitate Bononiæ, pro Sanctiſſimo D. Papa Eugenio Quarto digniſſimus Gubernator, quoq; etiam tempore MM. DD. Antiani in Palatio Societatis Notariorum ſuam reſidentiam faciebant, eodemq; tempore Canitulenſes cum ſuis alijs complicibus ſtatum in eadem noſtra Ciuitate principaliter obtinebant.

Cumq; eodem tempore à principio menſis Aprilis dicti anni vſque, & per totum tunc proximum ſequentem menſem Iunij eiuſdem anni fuiſent ſuper terram continuæ, & inceſſanter pluuiæ, tempeſtates, tonitrua, corruſcationes, & frequentia fulgura mirabilia, adeò quod bladæ, arborumq; fructus ſibi neceſſarium nutrimentum habere non poterant, quæ enim in gambis erant meti, & ſecari non valebant, & quæ ſecata erant ſiccari, & triturari non poterant: quinimò quæ ſecata iacebant in campis naſcebantur, & germinabant in terris, vt ſit, veriſimilis, quinimò & neceſſariè immenſæ, & terribilis famis dubietas eſſe poſſet, attento maximè, quod vniuerſaliter cunctorum

Gra-

Granaria Ciuiũ vacua eſſent, propter tuhc proximã prę-cedentem grauem, & lungam guerram , & terribilem obſeſſionem Gentium Armigerarum Papæ Martini contra præfatam noſtram Bononiæ Ciuitatem ; Et ego erã vnus ex illis, qui in principio dicti menſis Iulij fueram in Domo mea, & de toto frumẽto, quod pro tunc in granarijs meis habebam , ſalmam vnam ſex Corbium triturandam exhibui Molendinis, vt ſic de tanta, & tali abundantia veriſimiliter mœſtus eſse deberem, ſicq; eram.

Cumquè apud feneſtras dicti Palatij eſsemus aliqui ex dictis DD. Antianis, videnteſque præfati ſocij mei me ſtantem prænimium otioſum, ſatis caritatiuè, & fraternaliter quæſiuerunt quid haberem, quod tam mœſtus, & otioſus eſsem; Quibus reſpondi iuxta verbum ad Chriſtum duorum Diſcipulorum ſuorum Hemaus accedentium: Et Vos ſoli peregrini in Bononia eſtis, & non vidiſtis, neque in præſenti videtis quot, & quantas terribiles, & immenſas, ac continuas pluuias, tempeſtates, tonitrua, corruſcationes, & fulgura à tribus citrà menſibus emanata, propter quæ de præſentis anni recollectu nihil ſperare poſſimus, ſed famẽ immenſam cõſequi neceſsariò debeamus?

Qui omnes de communi morbo dolentes ſatis humaniter reſponderunt, dicentes: quæ dicitis vidimus, & videmus, & vt alij præſummè dolemus, ſed quidem in hac re aliud remedium facere non poſsumus, quàm dolere.

Quibus Ego replicaui, non dolendo, ſed placando Deũ eſt remedium capiendum, & exemplum ab alijs nobis ſa-

pientioribus aſſumendum: Sunt etenim Domini Florentini, qui dum interdum ſimilibus paſſionibus affliguntur, cum vna Tabula figuræ Glorioſæ Virginis Mariæ, manu, vt dicitur, Sancti Lucæ picta, quæ in Villa Prunetti Territorij Florentini, ſuam habet continuam reſidentiam, faciunt certis diębus ſolemniſſimas, & deuotiſſimas Proceſſiones per Ciuitatem Florentiæ, & temporum reconciliationes mirabiliter conſequuntur à Deo, & ſimiliter faciunt, cum indigent pluuijs opportunis.

Cur ergo & nos Bononienſes, qui non minus, quam ipſi fideles Chriſticolæ ſumus non idem facimus? Tabulam enim vnam habemus figuræ præfatæ Glorioſæ Virginis Mariæ in Eccleſia Sancti Lucæ ſuper Monte della Guardia, picta etiam, vt dicitur, manu præfati Sancti Lucæ, quæ Tabula, vt dicitur, ex Eccleſia Sanctæ Sophiæ Cathedrali Eccleſia Conſtantinopolitanæ Ciuitatis traducta fuit à iam diù ad hanc noſtram Bononię Ciuitatem, & ex inde portata, & locata fuit ſuper Altari præfatæ Eccleſiæ Sancti Lucæ ſuæ, vt dicitur, prædeſtinato reſidentiæ loco.

Quare ergò non mittimus pro dicta Tabula, vt faciamus cum ipſa in hac noſtra Ciuitate tribus diebus continuis ſolemniſſimas, & deuotiſſimas Proceſſiones, & preces humiliter effundamus ad Altiſſimum Creatorem noſtrũ, vt ex ſui conſueta miſericordia, & benigna interceſſione præfatæ ipſius Glorioſiſſimæ Genitricis tantam temporis malignitatem remoueat, & refręnet, dictique temporis,

& aeris

& aeris reconciliationem nobis indulgeat?

Qui omnes MM. DD. Socij mei dictis meis benignè, & liberaliter annuerunt, poteſtatemque, & arbitrium mihi plenariè tribuerunt, vt in prædictis, prout tamen videretur, prouiderem, & de pecunijs deputatis ſuper expenſis noſtri Antianatus officij ſolui, & expendi facere circa prędicta, prout occurreret opportunè, ſicq; feci, & miſi pro D. Bartholomeo Baroncino, D. Ioanne de Armis, & Ser Bernardino de Mulittis, tanquam tribus ex principalibus Benefactoribus, & Gubernatoribus Societatis Battutorũ Hoſpitalis S. Mariæ de Morte huius noſtræ Ciuitatis Bononiæ, de qua Societate ego etiam erã, & ſum, & ipſis præfatam intimaui deliberationem factam per noſtrum Officium ex cauſa prædicta, & rogaui eos, quod ipſi, & alij Homines dictæ Societatis in ſe onus aſſumerent, & pro dicta vice, & aliàs quandocunq; expediret eundi pro dicta Tabula, & portandi ad præfatam noſtram Ciuitatem, vt cũ ipſa deliberatione &c. Proceſſiones fieri poſſent, quoniam exinde reſultaret præfatæ noſtræ Societati, & præfato noſtro Hoſpitali augumentum magnæ deuotionis, ac gloriæ, & honoris, & maximè propter reſidentiam dictæ Tabulæ in dicto Hoſpitali, durantibus Proceſſionibus antedictis.

Qui tres notabiles Ciues præfatam noſtram deliberationem præſummè laudantes, cum magno deuotionis feruore pro ſe, & pro alijs omnibus Hominibus dictæ Societatis id onus gratiſſimè, votiuè, & liberaliter acceptarunt,

runt,

runt, ſicquè die Sabbathi quarta dicti menſis Iulij, non attentis pluuijs ſupradictis, iuerunt certi Homines dictæ Societatis ad dictum Montem Sancti Lucę, & dictam Tabulam reſidentem ſuper Altari dictæ Eccleſiæ Sancti Lucæ, quantò melius potuerunt, ſatagerunt ornare, & ſic ornatam in ſequenti nocte ſociatam cum multis luminibus, & duplerijs portauerunt cum magnis laboribus, & anguſtijs, propter immenſas pluuias continuas ad Eccleſiam Monialium Monaſterij Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Val de Præda, extra, & propè Portam Saragotiæ, & ibi tota dicta nocte permanſit.

Mane autem ſequentis diei, quæ fuit dies Dominica quinta dicti menſis Iulij dies, ſecundum ordinem à Regiminibus datum, confluit ad dictam Saragotiæ Portam totus Clerus, & Bononiēſis Populus vniuerſus, cum præfatis Reuerendiſs. D. Gubernatore, & MM. DD. Antianis, alijſq; omnibus Regiminibus Ciuitatis eiuſdem continua pluuia non ceſſante. In qua Congregatione, ſecundum tunc diuulgatam opinionem fuerunt à Serraglio dictæ Stratæ Saragotiæ vſq; ad Portam vltra quam quattuordecim millia perſonarum, & non mirandū, quoniam omnes tunc timebant, & conſiderabant periculum futuræ famis immenſæ; ſed quoniam ſcriptum eſt: Spiritus vbi vult ſpirat, inſuper & Altiſſimi miſericordia ad ipſam recurrentes, & deuotè orantes nunquam derelinquit, audi quæſo, & attende exauditionis miraculoſam gratiam manifeſtam, quoniam, quamprimum dicta deuotiſſima

Ta-

Tabula fuit in iam dicta Saragotiæ Porta, aſtantibus ſupradictis omnibus præſentata, totus tenebroſus, & pluuioſus aer fuit eodem inſtanti à pluuijs derelictus, & adeò clarificatus, ac ſi fuiſſet cum ſcopa mundatus, & Solares radij vltrà ſolitum clariores in eandem fluere Tabulam, ita, & taliter, quod omnes in dictam Tabulam intuentes reddebantur, qui ſuorum oculorum luminibus offuſcatis, & deuotione præ nimia moti, planctus, & lacrymas ita publicè, & feruenter emittebant, ac ſi fuiſſent acriter verberati, Miſericordia, Miſericordia omnes vna clamantes voce.

Poſtque cum iam dicta Tabula fuerunt tribus continuis diebus Poceſſiones factæ (deuotiones quoniam fortaſsè factæ fuiſſent in Ciuitate Bononiæ temporibus retroactis) quibus Proceſſionibus durantibus, dicta Tabula in dicto Hoſpitali de Morte continuè reſidebat, & continuis diebus, & horis perſonarum viſitantium illam, moltitudo innumerabilis confluebat; Tertia autem, & vltima dictarum Proceſſionum die fuit eadem Tabula cum magna Religioſorum, & Laicorum comitiua ad dictam Sancti Lucæ Eccleſiam reportata, & in iam dicto ſuo loco locata.

Quæ omnia ſupradicta attendentes præfati Reuerendiſsimus D. Gubernator, & Nos DD. Antiani noſtra ſpetiali Prouiſione, & Decreto pouidimus, & decreuimus ſub dat. Die penultimo Menſis Auguſti ſupradicti Anni 1433. Quod in perpetuam talis, & tantæ gratiæ memo-

riam

Digitized by Google

riam dicta Tabulæ annis ſingulis in prima die Dominica Menſis Iulij portetur ad hanc Noſtram Bononiæ Ciuitatem, & cum illa tribus continuis diebus deuotiſſima Proceſſio fiat; quibus peractis, ad iam dictum ſuæ reſidentiæ locum cum ſumma veneratione portetur, & ibi cum vna feneſtra ferrata tribus clauibus munita ſaluetur, quarum vna ſtet apud Magnificum D. Vexilliferum Iuſtitiæ, vna apud D. Rectorem Societatis Battutorum præfati Hoſpitalis della Morte, & reliqua tertia apud Dominam Abbatiſſam Monialium Sancti Matthiæ, ſub quarum Regimine eadem Sancti Lucæ Eccleſia gubernatur, & hoc ne ex ipſius Tabulæ deuotione prænimia contingat à quouis furtiuè ſubtrahi, ſeù furari; Quod Decretum eſt in Camera Actorum Communis Bononiæ, & in vno ex dicti Hoſpitalis Camplonibus regiſtratum.

Viguitq; poſtea ſuper terram aeris immenſa ſerenitas tribus continuis menſibus, videlicet Iulij, Auguſti, & Septembris, factiq; fuerunt Bladarum, & aliorum fructuum vberiores vltra ſolitum recollectus, & in tantum, & taliter tunc pluuiæ ceſſarunt in terra, quod, ſuperueniente tempore ſeminandi, non poterant agri cultro moueri ſiccitate, & ſeu ariditate prænimia, adeòquod vniuerſaliter in hac re inſurgente querela, Magnifici pro tunc DD. Antiani, in quorum numero erat Vir Nobilis Cattelanus de Goggiadinis pro me Gratiolo miſerunt, dicentes, quod à ſuis Colonis ſenſerant, non poſſe ſeminibus operam dari propter præ nimiam terrarum ariditatem, & quod opus

erat

erat prouidendi, & quod iam dicta Tabula reportaretur ad præfatam noſtram Bononiæ Ciuitatem, & quod cum ipſa conſuetæ Proceſſiones fierent, vt, ſicut Altiſſimus ſua conſueta, & benigna miſericordia, ſuæque interceſſione Glorioſiſſimæ Genitricis aeris ſerenitatem nobis indulſerat, ita & neceſſariæ pluuiæ gratiam nobis exhiberet.

Quorum MM. DD. Antianorum parendo mandatis, effectualiter prouidi, quod dicta Tabula fuit ad præfatam noſtram Ciuitatem Bononiæ reportata, cum qua factis tribus continuis diebus deuotiſſimis Proceſſionibus conſuetis, & ſucceſſiuè in tertia, & vltima dictarum Proceſſionum die ad dictam Sancti Lucæ Eccleſiam honorificè, ac deuotiſſimè reportata; Audi quæſo gratiam memoriæ conſeruandam; quamprimùm enim dicta Tabula in dicta Eccleſia fuit, ſtatim vna amœniſſima pluuia deſuper deſcendit in terram, & tribus continuis diebus pluit ità dulciter, & amœnè, quod nemo ſciuiſſet meliùs impetrare, adeò quod cum Dei gratia fuit per omnes dicto tempore aptiſſimè ſeminatam, & conſequentèr fuit vberrimus recollectus.

Fuit etiam poſteà dicta Tabula ex ſimilibus, & alijs cauſis pluries, & pluries Bononiam reportata, & factis cum illa Proceſſionibus conſuetis in impetratis precibus, & gratijs nunquam defecit huic Populo miſericordia Altiſſimi Creatoris, cooperantibus in illis benignis interceſſionibus præfatæ ſuæ Pijſſimæ, & Glorioſiſsimæ Genitricis. Deo gratias. Amen.

SONETTVS DICTI GRATIOLI

Pro ſupradicta Tabula, & Eccleſia Sancti Lucæ tempore magni diluuij aquarum, & tempeſtatum 1433. de quibus ſupra.

LA Madre di Gieſù, che in Croce ſtete
Sol per ſaluare l'humana natura,
El cui fauor, e deuota figura
El Popol Bologneſe cognoſcete.
Nel tempo ch'el Diluuio ſe vedete
Piouendo, e tempeſtando oltre miſura,
E di raccolti ogn'vn preſe paura,
E per ſuoi prieghi el mal tempo riſtete.
A voi ricordo frà Signori Antiani,
Che degl'auuanzi voſtri el meſe dia
Le quattro liure, che ſon ſtantiate.
A chi di tal figura con ſue mani
Dipinſe Santo Luca fattor ſia,
Per fabbricar San Luca ſian pagate;
E ſe vi ricordate
Come de Luglio ogn'anno il primo Sole
In queſta Terra ſempre addur ſe vuole;
Ancor non vi ſcordate,
Chi degl'Antiani in quello tempo ſia
Quattro Doppier per quella honorar dia.

Eſt,

ESt, & aliud, quod meo debili iudicio puto laudabile fore in ſcriptis perpetuæ memoriæ commendandum, videlicet.

Qualiter Carolus Illuſtriſſimus Rex Francorum ſuſcepit in recommendiſiam Populum, & Commune Bononiæ, & donauit eidem Bononienſi Populo eminẽtiſſimum, & notabiliſſimum Magnum, & ſeu Vexillũ Aureę flammæ.

Pro cuius rei veriſſima informatione ſciendũ eſt, quod de anno Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1389. Regimina Popularia huius noſtræ Ciuitatis Bononiæ ex quauis fortaſſe iuſti timoris dubitatæ offenſionis cauſa, miſerunt ſpectabilem Militem D. Petrum quondam Blanchi de notabili familia illorum de Blanchis antiquiſſimorum Ciuium noſtræ Ciuitatis prædictæ ad impetrandam recommendiſiam huius noſtræ Ciuitatis, & Populi à Carolo Illuſtriſſimo Rege Franciæ.

Quam recommendiſiam, & protectionem huius Populi, & huius Ciuitatis, & omnium Terrarum, & locorum eidem Populo ſubiectorum, præfatus Illuſtriſ. Rex Carolus acceptauit liberaliter, & votiuè, prout per ipſius Regales publicas, & patentes litteras ipſius Regali Sigillo munitas, apertiſſimè conſtat, ſub datum Pariſijs die decima Maij anno Domini 1389. Regni ſui anno Nono, quæ litterę ſunt in pręfatæ noſtræ Ciuitatis Archiuio publico, & ſeu in Camera Actorũ in tuto, & ſecreto loco locatæ.

Et pro huiuſmodi recommendiſiæ apertiſſima, & omnibus manifeſtiſſima demonſtratione, & ſigno, ex ſui libera-

raliſſima, & ſibi naturali innata largitate, & ſuo proprio, & ſpontaneo motu donauit præfato noſtro Bononienſi Populo Glorioſiſsimum, & Notabiliſſimum Inſignum, & ſeù Vexillum Aureæ Flammę, cum Corona aurea in ſuperiori parte dicti Vexilli, cum catenellis argenteis deauratis alligata, quodque Vexillum Aureæ Flammæ iuxta communem Chriſtianorum opinionem, & antiquiſſimam famam dicitur fuiſſe Cœlitus datum, & tranſmiſſum Carolo Magno Illuſtriſsimo Francorum Regi, Sereniſsimoque, & Chriſtianiſsimo Romanorum, & totius Sæculi Chriſtianorum Imperatori digniſſimo, & pro Chriſtiana Fide inuictiſſimo, & victorioſiſsimo Pugnatori; Et vt in antiquis hiſtorijs legitur, quando dictus Carolus Magnus dictum Vexillum ſecùm habebat in Bellis, ſemper ex infuſa, & ordinata à Deo gratia victoriã obtinebat, & hinc eſt, quod, vt dicitur, dictus Carolus cum magna veneratione, & vigili diligentia dictũ Vexillum ſaluari, & cuſtodiri faciebat.

Quæ donatio huic noſtro Populo non paritèr grata, quinimmò & gratiſſima fuit, & in ſingulariſſimam gratiam, & honoris gloriam acceptata, vt ſic poſteà per multa, & multa tempora conſueuerint præfata huius Ciuitatis Regimina in introitibus DD. Antianorum, & Confaloneriorum Populi, & in acceſſibus præfatorum Regiminum ad Feſtiuitates, & in alijs quibuſcunque actibus publicis, in diebuſque ſolemnibus facere dictum Vexillum poni ad Arengheriam Palatij Reſidentiæ præfatorum MM. DD. Antianorum, & portari per Ciuitatem Bononiæ ſemper

in

in medio inter Vexillum Armæ Communis Bononiæ, & Vexillum Libertatis ratione debitæ, maiorisquè præeminentiæ, & honoris, & ſic per multa tempora poni, & portari Vexillum prædictum vidi ego Gratiolus ſupradictus multis, & infinitis vicibus, videruntque & multi, & infiniti huius noſtræ Ciuitatis annoſi Ciues viuentes etiam tempore in præſenti.

Et pro vberiori demonſtratione gratiſſimæ acceptationis huius Populi de tam ſublimi, & tam gratioſa donatione tanti, & talis doni præfati triumphantis Vexilli fecerunt Regimina prædicta ſculpiri in marmoreo lapide, & deſuper ornatè pingi Vexillum, & ſeu Inſignum Vexilli prædicti, quod à iamdiù, & in præſenti tempore videtur affixum in pariete ſupra Portam introitus Palatij reſidentiæ præfatorum MM. DD. Antianorum.

Et inſuper illud honorificè pingi fecerunt in Camino præfatorum MM. DD. Antianorum in pariete ad manum dexteram in introitu dicti Camini, quamuis alio tempore (quo ego Gratiolus, & Socij mei, qui fuimus in dicto Antianatus officio de, & pro menſibus Ianuarij, & Februarij anni Domini 1451. & quo tempore fecimus totum dictum Caminum de nouo pingi vnà cum Armis omnibus, quæ in præſenti in eodem Camino picta ſunt) fecerimus dictum Inſignum, & ſeu Vexillum in alio eminentiori loco, quam prius eſſet pingi, & locari, & vt patet in melius reformari.

Et quæ dum poſtea reperirem me de præfati Officij

DD.

DD. Antianorum numero de, & pro menſibus Septembris, & Octobris anni 1457. contigit, quod certi Gallici, qui ex aſpectu Viri nobiles videbantur, ex Romana, vt dixerunt, Curia venientes, eſſent in Camino prædicto, & picturam dicti Inſigni, & ſeu Vexilli multum admiratiuè inſpiciētes me ibidem præſente, inquit vnus ex eis, & quomodo Regale Inſignum Illuſtriſſimi Regis noſtri eſt in hoc oco pictum? cui, & Socijs ſecum aſtantibus ego, quò tamen humaniſſimè ſciui, & potui reſpondendo dixi.

Viri nobiles, non miremini, ſi Illuſtriſſimi veſtri Regis Inſignum eſt in hoc loco pictum, quia Carolus Illuſtriſſimus Rex Francorum, qui pro tempore fuit de anno Domini 1389. noſtro Bononienſi Populo Inſignum tale donauit, qui etiam eodem tempore hāc noſtram Ciuitatem, & eius Populum in recommendiſiam, & ſub ſui protectionem ſuſcepit.

Qui Gallici de tali viſione, & informatione ſe multum alacres oſtenderunt, dicentes: Verè hæc nos audiuiſſe iuuat, quod vbi prius ſatis diligebamus hanc Ciuitatē, & eius Populum, modò pluſquam prius poſſumus eiſdem ſingulari affectione coniuncti, quod vidimus, quantum Inſignum noſtri Regis, & Domini honoratis, quodq; ſentiamus Gallicos cum Bononienſibus tali, & mutua dilectione coniunctos, & hæc, quæ vidimus, & audimus in noſtra Patria referemus.

Cumq; poſtea conſiderarem prędictorum Gallicorum caſum, & animaduerterem, quod non ſemper adeſſet, qui

in

in caſu ſimili ſciret quærentibus reſpondere, & de re eadem ipſos reddere clariores, & vt aliàs, & de alijs huiuſmodi inſigni cauſa picturæ clariſſimè conſtet, abſque eo, quod quærant ab alio informari, niſi pro vno pictore, & per eum ſub inſigno, & pictura prædicta poni, & ſcribi feci verba, quæ ibidem in præſenti poſita, & ſcripta ſunt, videlicet. Vexillum Aureæ flammæ donatum Bononienſi Populo per Carolum Illuſtriſſimum Regem Franciæ de anno Domini 1389.

Et quamuis, vt ſupra dictum eſt de ſupradicta recomendiſia conſtet per Patentes litteras ſupradictas tãquam in dictis litteris de ſupradicta donatione, talis Inſigni, & ſeù Vexilli nulla ſit mentio, nec aliter in quauis alia ſcriptura de dicta donatione conſtat, niſi quatenus per ſculpturam ſupraſcripti marmorei lapidis, ac per ſupradictam picturam euidenter apparet, tamen, quia ex dicta pariete dicti marmorei lapidis, amotione dictæ, vel parietis ruina, & ſeù demolitione, picturæque prædictæ calce cadente, poſſet tractu temporis ſupradictæ donationis notitia, & memoria deficere, & per noſtros poſteros ignorari; Idcircò decreui ego Gratiolus ſupradictus poſt ſupradictarum rerum Chronicas ſupradictas, de huiuſmodi donatione in ſcriptis in loco hoc mentionem, & memoriam facere ſpecialem, maximè, vt prædictis noſtris Poſteris ſit omni tempore nota.

Inſuper eſt ſciendum, quod ſupradictum Inſignum, & ſeu Vexillum Aureæ flammæ non eſt propria, & naturalis,

ac

ac antiqua Arma Domus Regalis, & Regni Franciæ, ſcilicet propria ipſius Arma ſunt tria Lilia Aurea in campo toto azurro, quorum trium Liliorum duo ſunt in parte ſuperiori dicti Campi, & reliquum tertium eſt in parte inferiori Campi prædicti intermedians cum eius ſummitate dicta duo ſuperiora Lilia.

Scilicet ſupradictum Inſignum Aureæ flammæ conſiſtit in Campo toto azurro, & toto pleno Lilijs aureis, prout in ſupradictis locis lapidis ſculptura, & pictura clarè demonſtrant, prout etiam apertè conſtabat ex inſpectione ſupradicti Vexilli tranſmiſſi, & donati cum ſupradicta Corona Aurea Bononienſi Populo per ſupradictum Carolum Illuſtriſſimum Regem Franciæ.

Donauit ergo ipſe Carolus Illuſtriſſimus Rex Francorum præfato noſtro Bonon. Populo dictum Inſignum Vexilli Aureæ flammæ, tanquam ſuum Inſignum cœlitus emanatum, & tanquam pignus, ſua propria, & Domus ſuę, ac Regni ſui naturali, & antiquiſſima arma, in demonſtrationem maioris dilectionis, & gratiæ.

A certis tamen, & ſatis longæuis citrà temporibus ex quauis neſcio cauſa, ſed fortaſſe legitima dictum Vexillum ſic vt ſupra teneri, ſicque portari fuit obmiſſum, quid autem in præſenti tempore ſit de Vexillo prædicto nouit ille, qui nihil ignorat, cuiuſque nomen, iuxta Pſalmiſtæ Verbum, ſit benedictum ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. Amen.

Ru-

RVdis, debiliſque, & inepta inuectiua dicti Gratioli de Accariſijs Legum Doctoris, Bononiæ Ciuis, Sacrique Conciſtorij Sanctiſſimi D. N. Papæ antiquiſſimi Aduocati, mœſtiſſimè condolentis de peſtifera, infæliciſſima ſubiugatione Conſtantinopolitanæ Ciuitatis à Magno Turco diebus proximis ſubiugatæ, ac acriter increpantis vniuerſos Chriſticolas, & maximè Primates, & Principes, quod Conſtantinopolitanis neceſſarium, ac poſſibile non dederunt auxilium, & inſuper affectuosè, & efficaciter exhortantis præfatos Chriſticolas vniuerſos, vt charitatiuè, & concorditer conueniant in vnum, & taliter contra Magnum Turcum prouideant in futurum, quod non contingat error peior priore, ſecundouè.

Quam cauſam in medium, niſi iniuſtam afferre poteſtis huius ſæculi Principes omnes, quonam niſi indefenſibili clypeo poteſtis defenſari Chriſtianorum Primates, & Populi vniuerſi, quoq; niſi ficto velamine poteritis excuſari, dum ab Altiſſimo in ſuo iuſto iudicio, & tremendo examine vocabimini, quod pro ſalute fidei illius de veſtris temporalibus bonis vobis ab eo collatis neglexeritis exburſare, qui pro veſtrarum animarum omnium ſalute ſuum præſtantiſſimum Corpus Crucis patibulo, & morti traditione, ſuumque ſacratiſſimum Sanguinem effunderat, tot, tantaq; improperia pati tanquam humilis Agniculus noſter neglexit.

Quid graue vobis erat, vt vidẽtes glorioſiſſimam Conſtantinopolim Ciuitatem, vnum ex duobus principalibus

 locis,

locis, & capitibus Fidei Chriſtianæ ſubiugationis à perfidis Infidelibus periculo ſubiacere, quod communicaretis inſimul conſilijs, auxilijs, & fauoribus à tanta, & tali infælicitate illam non curaueritis ſubleuare, quod etſi omnipotentis Dei reuerentiam, ſuæque Chriſtianæ Fidei defenſam facere non decreueritis, id ſaltem per veſtrarum perſonarum, ac veſtrorum temporalium bonorum conſeruatione facere debuiſtis.

Quid eſt, quod veſtrum animas, & conſcientias à tanta, taliq; obmiſſione, & peccato ſaluas reddere poſſit, qui tam crudeliſſimè, tamque impiè, & abſque charitate vlla, paſſi eſtis, tam eminentiſſimam Ciuitatem ſubuentionis ruinæ, & totalis demolitionis illius, quam Populi perſonarum trucidationis ab illis perfidis, & iniquis Infidelibus periculum incurriſse? non inquam ſuarum periculum animarum, quoniam fidelis vnuſquiſq; Chriſticola certior eſſe debet cunctorum illius Populi animas in tali excidio defunctorũ, tanquam contra Chriſti inimicos pugnantium, & ſe tuentium in ſuo ab huiuſmodi ſæculi exitu fuiſse in locum æternæ ſalutis ingreſsas.

Quis vos inſontes faciet, & ſecuros, quod tanti, taliſq; ignis ſcintillæ ad veſtras non tranſeant manſiones, quod niſi omnium conditor, non veſtris ex meritis, ſcilicet ex ſua conſueta miſericordia dignetur adeuntem proculdubiò id iuſtè, & veriſimiliter contingere deberet.

Plangant Cœli, lugeat Terra, & cuncta fleant quattuor Elementa, quod his diebus tantum, & tale excidium, taliſque

Digitized by Google

liſque Populi, tantique loci emerſerit ruina, in quo Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti, & Orientalis Eccleſiæ Fides, & deuotio ſaluabantur, ac diuina celebrabantur Officia; In quo per frænum, & reſiſtentia contra Chriſti Inimicos perfidos, & Infideles tutiſſimè conſiſtebat, non ſic igitur de ſubuerſione, ſubiugatione, & excidio illius non inquam Peræ, ſed prauæ, & prauiſſimæ Ciuitatis, cuius, & ſeù quorum malignis operibus, non tantum re in hac, & in præſenti omni fraude vſati, verùm etiam, & aliàs tempore memorandi Exercitus fęlicis recordationis D. Eugenij Papæ Quarti contrà pręfatos perfidos Infideles Magnum Turcum cum magna aliorum Turcorum comitiua in locum firmæ proditionis, & captiuitatis incluſos pro pecunijs in ſuis Claſſibus, tanquam Iudæ Succeſſores in locum illis tutiſſimum transferuntur in ipſorum grauiſſimam infamiam, & damnationem perpetuam, & in præſenti in ſuam iuſtiſſimam ruinam, & à nemine deploratam, ſi quæ, vt proximis diebus relatum eſt, ipſa Pera perijt, perire vtique digna fuit.

O quam infœlix, & ſcandaloſa, ò quam deteſtabilis, & amara, ò quam periculoſa, ò quàm ignorantiſſima, ò quam ingratiſſima neglecta defenſio, vt ſic niſi ipſe miſericors, & miſerator Altiſſimus ſuam agens cauſam tanto, ac tali deffectui miſericorditer, & gratioſè prouideat, Chriſticolæ omnes dubij eſſe poſsint de benemerito eorum, & infortunato ſucceſſu, qui tàm ingratiſsimè dare operam neglexerunt pro defenſione Fidei illius, qui pro

ſuarum animarum redemptione mori non neglexit in Ligno Crucis, & ſuum vſque ad mortem effundere ſanguinem pretioſum.

Illuſtriſsimum autem Dominium DD. Venetorum nulla in hac re excuſatione indigere videntur, qui, etſi in præſenti ſint in guerris, & expenſis multifariè occupati, non tamen & hoc tempore, & alias quantumcumque à Conſtãtinopolitanorum charitatiuo ſubſidio deſtiterunt, exinde ab Altiſſimo ſui Glorioſiſſimi Status firmitatem diutiſſimam, ac continuum augumentum digniſſimè conſecuti, qui pro prædictorum aſſiduo ſubſidio, & ad Infidelium reſiſtentiam, & confuſionem omnimodam, ac Chriſtianæ Fidei defenſam, vt clariſſimè omnibus innoteſcit, ſuis, & continuatis temporibus non paucos expendere Theſauros.

Heù quis iuſtè compati non deberet afflictionem noſtri humaniſſimi Principis Cardinalis, & Legati digniſſimi D. Biſarionis, qui cum intuitu oppreſſionis Fidei Chriſtianæ, tum excidij tanti, taliſque loci compaſſione, ex cuius partibus primam tranſit originem, continuis mentalibus affligitur paſſionibus, & afflictus fuit à iamdiù, & poſtquam iam dictam Conſtantinopolim Ciuitatem ſenſit oppreſſam, cuiuſque votiuo, & magno deſiderio, ſi conformis patentia affuiſſet, proculdubiò tam deteſtabilis, & horrendiſſimi caſus ſecutus non fuiſſet effectus.

Eia igitur conſurgite vniuerſi Chriſticolæ, & ad partem ſepolitis vigentibus in præſenti inter vos differentijs,

guer-

guerris, & diſcordijs quibuſcumque, & ſuper illis, ſi non firma, & perpetua pace, ſaltem ad euentum, tempus, & ad veſtri vlterius beneplacitum ſufferentia, quiete, & ſeu tregua diligenti ordinatione prouiſo charitatiuè conueniatis in vnum, & cum veſtris perſonis, ac temporalibus bonis vobiſmet ſuccurrite, nec perfidorum Infidelium expectetis excidio iugulari, ſtatuque, & bonis viliſſimè ſpoliari, animarumque veſtrarum proditione damnari, & à perditorum recuperatione humiliter inſiſtatis, ac Infidelium perſecutionem, & confuſionem omnimodam, ſacrique Sepulchri Redemptoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti redemptionem ab vniuerſis Chriſticolis ſummo deſiderio affectatam, & Enſes veſtros veſtris accingite lumbis, & cætera veſtra, & opportuna ſumite arma, portantes præcipuè ante vos inuictiſſimum Sanctæ Crucis Vexillum, & obuiam feſtinetis contra Magnum Turcum, qui contra vos omni ſtudio, & cum omni ſua potentia venit, & venire ſatagit, & feſtinat, in quibus omnibus à Domino Noſtro Ieſu Chriſto ſuum, & veſtrum agentem fauorem, auxilium, & conſilium, ac veſtrarum perſonarum ſalutem in hoc ſæculo proculdubiò reportabitis inſimul, & victoriam triumphantem, ipſeque in alio vobis vitam parabit æternam. Laus Deo. Amen.

Quod quidem tranſumptum vt ſupra extractum illud cum dicto Originali collationauimus, & concordare inuenimus. In quorum fidem &c.

Ego

Loco ✠ Signi

Ego Franciſcus Maria q. D. Manfredi de Sabbadinis filius, Ciuis, & Not. Bonon. Apoſtolicus, & Imperialis, ac vnus ex Præſidentibus antedicto Bonon. Archiuio, ſupradictæ collationi interſui, & concordare inueni, illaq; omnia ex Originali libro prædictæ Hiſtoriæ deſumi volui, & conſenſi, in præmiſſorum fidem hic me ſubſcripſi die 14. Aprilis 1661.

Loco ✠ Signi

Ego Angelus olim D. Leonardi Betti Florentiolæ filius Ciuis, & Not. Bonon. ac vnius ex Præſidentibus antedicto Bonon. Archiuio, ſupradictæ collationi interſui, & in fidẽ ſubſcripſi hac die 14. Aprilis 1661.

Digitized by Google

REperitur in quodam libro, qui appellatur Fantinus, in quo deſcripta, & ſeu repaginata ſunt, multaque plura, & diuerſa Decreta, Priuilegia, Bullæ, Legationes, & earum arbitria, emanatæ, & factæ, ac emanata, & facta, tam per duos Gubernatores Ciuitatis Bonon. quam per alia Regimina dictæ Ciuitatis, & aliæq; plures, & diuerſæ Scripturæ ſcriptæ ſub diuerſis Annis, & temporibus, manu plurium, & diuerſorum Notariorum, ſeu Cancellariorum dictorum Gubernatorum, ſeu Regiminum. Qui liber eſt in Camera Actorum, ſeu Archiuio publico Populi, & Communis Bonon. inter alia, in hunc modum, & formam, videlicet.

MARCVS Epiſcopus Auinionenſis, Bonon. &c. & Apoſtolicus Gubernator. Dilectis nobis in Chriſto Rectori, Priori, & Maſſario, cæteriſq; omnibus deuotæ Societatis, & Hoſpitalis Battutorum Beatæ Mariæ Virginis de la Morte Operum miſericordiæ Ciuitatis Bonon. comitantium Damnatos ad mortem in Ciuitate Bonon. Attendentes laudabilem prouiſionem nouiter factam per Magnificos DD. Antianos Ciuitatis Bononiæ, videlicet. D. Franciſcum de Guidottis Vexilliferū Iuſtitiæ, D. Gratiolum de Accariſijs Legum Doct. D. Io. de Canonicis Notarium, D. Albertum de Bonigannis Campſorem, D. Hieronymum de Brunio Notarium, D. Buchinum de Buchis Campſorem, D. Iacobum Nanini de Alberghis Aromatarium, D. Bartholomæum della Cruce Aromatarium,

rium, & D. Bartholomæum de Chiaris Merzarium Officio Mag. DD. Antianorum in præſenti actualiter præſidentes; Et per Honorandos DD. de Collegijs Confalonerios principales, & Maſſarios Artiũ dictæ Ciuitatis Bonon. Ad perpetuam laudem, & reuerentiam Omnipotentis Dei, eiuſq; Matris Mariæ Virginis Glorioſæ, Qui conſiderantes anguſtias, calamitates, & mœſtitias totius huius Populi Bonon. necnon etiam Comitatus neceſſarium, ac aliorum in ijs præſentibus circumſtantium, ob immenſas, & mirabiles pluuias, & terribiles tempeſtates, variaſq; & peſſimas temporum malignitates, quæ à pluribus temporibus citrà fuerunt, obque Bladas, cæteriſq; terræ fructus ex nimijs aquarum inundationibus mirabiliter ſuffocabantur, nec ad dictorum fructuum, & bladarum recollectum, iuxta antiquum morem poterat quomodolibet perueniri, vt ſic exinde vniuerſi homines de immenſa, ac terribili, tremendaque, & vniuerſali fame poſſent veriſimiliter dubitare. Cui morbo præfati MM. DD. Antiani optantes, iuxta poſſe conuenienter, & ſalubriter obuiare, ac conſiderantesq; nullo aptiori, aut meliori, conuenientioriq; modo poſſeq; Diuinis remedijs, ac auxilijs, & impetrationibus veriſimiliter prouideri, Inſpirati Diuino motu, mentes, & corda eorum deuotiſſimè in Altiſſimum dirigentes, & ab ipſo ſolo in præmiſſis gratiam conſequi poſſe videntes. Diffidẽtes, quod illam poſſent effectualiter obtinere propter peccata, & demerita hominum, niſi mediante glorioſiſſima interceſſione Glorioſiſſimæ Virginis

Ma-

Mariæ Matris Domini Noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris, & Redemptoris noſtri; Et ſcientes fore Tabulam vnam pictam in figura Beatæ Virginis Glorioſæ manu Sancti Lucæ Euangeliſtæ, ſitam ſupra Altare Eccleſiæ Sancti Lucæ prædicti, poſitæ in, & ſuper Monte della Guardia depropè Bononiam, in cuius deuotione ſperantes, ob fidem, & deuotionem dictæ Figuræ, vt ſupra pictæ, cum maxima humilitate, & fidei integritate illam ad hanc Ciuitatem Bonon. honorificæ, & reuerenter adduci fecerunt per Homines Societatis noſtræ prędictæ. Cui Figuræ, & Tabulæ ſumma cum veneratione vniuerſus Clerus, ac Populus, & præcipuè præfati DD. Antiani, Mag. & cætera Regimina, ac omnes Societates, Artium Ciuitatis eiuſdem, cum Reliquijs omnibus Sãctorum, ob viam euntes cum eadem deuotione per plures dies Proceſſiones, Orationes, & deuota Officia fieri fecerunt dictam Figuram continuò, cum vniuerſis prædictis Clero, & Populo, ac Regimine, & Societatibus omnibus prædictis deuotiſſimè imitantes, ob quod ex Altiſſimi miſericordia, & interceſſione pijſſima prędatę Virg. Glorioſę apertiſſima, & manifeſtiſſima pluuiarũ, ac tempeſtatum ceſſationis, ac ſerenitatis tẽporis gratia mirabiliter reſultauit res in vniuerſo Orbe, & potiſſimè in Ciuitate hac Bonon. perpetuò memoriæ conſeruanda. Cumq; per præfatos MM. DD. Antianos, attentis meritis, & virtutibus hominum, & præfatæ Societatis veſtræ fuerit ſpecificè cõceſſum, & cõmiſſum, ac prouiſum, quod per Homines veſtræ Societatis prædictæ pro hac vice, &

alias quandocumque contigeret dictam Tabulam, & Figuram pro ſimilibus, & alijs gratijs impetrandis, ad eandem portari Bonon. Ciuitatem, & ad dictam Eccleſiam reportari, & in præmiſſis, & alijs dependentibus fore per ipſos præfatæ Societati veſtræ prouiſionem, & ordinationem circa præmiſſa ſpecialiter, & ſpecificè conceſſum. Cumq; Nos de prædictis, deuotione, & diligentia veſtris plenariè informati ſperemus in prudentijs, & diligentijs, ac deuotionibus veſtris, quod circa prædicta vobis, vt ſupra impoſita, commiſſa, & conceſſa, vt veſtri moris eſt, diligenter, & commendabiliter procedetis, Eapropter prouiſiones, conceſſiones, & commiſſiones, ac ordinamẽta per præfatos MM. DD. Antianos, vobis in prædictis, vt ſupra facta, & conceſſa Approbamus, & confirmamus, & quatenus expediat de nouo vobis imponimus, committimus, mandamus, & concedimus ſic, vt nemini alij, quam vobis, & ſeu Hominibus Societatis veſtræ quomodolibet liceat quouis tempore ſe in prædictis ingerere, aut ſe modo quouis impedire. Et vt huius principali in prædictis, immenſa, & iuſta deuotio de die in diem ſuſcipiat incrementum, Idcircò quibuſcunque, qui vice hac dictam Figuram honorarunt, quique in ſimilibus idem facient, quique dictam Eccleſiam Sancti Lucæ, aut Hoſpitalẽ prædictũ, cum dictam Tabulam, in eodem Hoſpitali vnà contigerit deuoti, quouis tempore viſitabunt, aut in eiſdem Eccleſia, & ſeu Hoſpitali in Veſperis, & Canonicis Horis per dictos Homines dictæ Societatis dicendis intererint, vice,

& die

& die qualibet Centum dies de Indulgentia Apoſtolica autoritate concedimus. Et vt dicta Tabula in ſuo iam dicto conſueto loco tutè, & reuerenter, vt conuenit conſeruetur, volumus, quod circa huiuſmodi prouiſionem veſtræ prudentiæ, cum omni diligentia maturè intendant, & prouideant fieri faciendo vnum Armarium, & ſeu Tabernaculum ſupra, & ante Altare Eccleſiæ prædictæ, in quo Tabernaculo, & ſeu Armario prædicta Tabula incluſa tutè remaneat, Tribus munito Clauibus, quarum vna apud Vexilliferum Iuſtitiæ etiam, ſeu Priorem, qui pro tempore fuerit de numero MM. DD. Antianorum Ciuitatis Bononiæ, & vna alia apud Prioriſſam, & ſeu Abbatiſſam Monaſterij Sancti Matthæi Ciuitatis eiuſdem, ſub cuius Monaſterij cura præfata ſubeſt Eccleſia, & reliqua tertia apud Rectorem Societatis veſtræ, iam dictæ tutè conſeruentur. Et quandocunq; pro ſimilibus caſibus, aut in diebus ſolemnibus contingat, Armarium, & ſeu Tabernaculum prædictum aperiri debere, Claues prædictæ per præfatos Rectori Societatis veſtræ tradantur, & liberè conſignentur eiſdem, poſtea continuò reaſſignandæ, & vt ſupra perpetuò conſeruandæ. Et quia ex prouiſione prædicta præfatorum MM. DD. Antianorum prædictæ Figuræ deuotio in die quinta menſis Iulij proximè præteriti, quæ fuit dies Dominica, initium, & originem habuit, idcircò diſponimus pro anno quolibet, & in futurum perpetuò in prima Dominica dicti menſis Iulij dicta Tabula ad dictam Ciuitatem Bonon. per Homines Societatis veſtræ

Extat nũc Breue ab Vrbano 8. emanatũ ann. 1625. omninò vidend.

ſtiæ portetur, cui vſque ad Portam Saragotiæ MM. DD. Antiani, & cætera Regimina, ac Societates omnes,& vniuerſus Clerus, & Populus Bonon. vnà cum Reliquijs omnibus Sanctorum Ciuitatis prædictæ, deuotè, & reuerenter obuiam vadant: Et cum dicta Tabula per Ciuitatem Bonon. Proceſſionem faciant, cum deuotis Orationibus, & Officijs, cum ipſaque Tabula ad vnam ex principalibus Eccleſijs, ad quas Proceſſiones conuenire, & accedere ſolent, accedere debeant, incipiendo pro prima vice, & in primo Anno ad principalem Eccleſiam, videlicet Cathedralem Sancti Petri Maioris Ciuitatis Bonon. & ibi conſueto more ſolemnis Miſſa celebretur: Et ſic ſucceſſiuè ſequentibus Annis ad alias Eccleſias, ſecundum ipſarum ordinem: Et quod die ſequenti poſt diem Solemnitatis prædictæ ad Eccleſiam prædictam Sancti Lucæ per vos Homines Societatis prædictæ deuotè reportetur honorificè ſociata,vt ſupra per Clerum,& vniuerſum Populum Ciuitatis prædictæ, vſque ad Portam iam dictam, & in ſuo iam dicto loco reponatur claudenda: Et ibidem ad Altiſſimi reuerentiam,& pręfatæ VirginisGlorioſæ laudem,ac Beati Lucæ Euangeliſtæ honorem,& pro ſalute Populi Ciuitatis huius, ac Comitantium eiuſdem perpetuò conſeruetur. Datum Bononiæ in Palatio noſtræ reſidentiæ die penultimo Auguſti 1433. ſub appenſione noſtri ſoliti Sigilli. In fidem præmiſſarum Io. de Xonatijs.

Ego Bentes filius quondam nobilis Viri Baptiſtæ de Bentiuolis Ciuis Bonon. publicus Apoſtolica, Imperiali, & Com-

& Communis Bononiæ auctoritate Notarius, & nunc Notarius, & Officialis Officio Cameræ Actorum, ſeu Archiuij publici Populi,& Communis Bonon.prædicta omnia, prout in dicto libro inueni, ita ea omnia fideliter ſcripſi, ſumpſi, & exemplaui ſub Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo, Indictione nona, die quarta menſis Maij dicti Anni. Ego Benedictus quon. Ser Franciſci de Oro Bononiæ Ciuis publicus, Imperiali, & Communis Bonon. auctoritate Notarius,& nunc Notarius Officio Cameræ Actorum Communis Bonon.prædictis omnibus in fidem,& teſtimonium omnium præmiſſorum me ſubſcripſi die, Anno, & menſe ſupradictis.

In Dei nomine. Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem Milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione ſecunda, die verò decima octaua Menſis Iulij, tempore, &c. D. N. D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ Septimi.

Præſens Copia extracta fuit ex ſuo Originali exiſtente in Archiuio Venerab. Hoſpitalis S. Mariæ de Morte Bonon, cum quo facta collatione concordat.

In quorum fidem Ego Io. Baptiſta olim D. Iulij Cæſaris de Cauatijs Bonon. Ciuis publicus, Apoſtolica, Imperiali, ac Communis eiuſdem nunc Notarius Collegiatus, necnon Curiæ, Menſæq; Archiepiſcopalis Actuarius, ac dicti Hoſpitalis S. Mariæ de Morte Secretarius, hic me ſubſcripſi, & ſubſignaui requiſitus.

Loco ✠ *Signi*

V. D. Iuentius Tortus Cler. Reg. S. Pauli, Pœnitentiarius, pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D. Card. Hieronymo Boncompagno Bonon. Archiep. & Principe.

Gratioli Accariſij I. V. D. Hiſtoricum contextum trium Bonon. Ciuitatis gloriarum, hoc eſt Templi D. Mariæ Virginis de Monte diuinitùs conſtructi. Imaginis eiuſdem Deiparæ, quã D. pinxit Lucas miraculoſæ acquiſitæ. Vexilliq; Aureæ Flammæ dono Regio recepti, de mandato Reuerendiſs. P. Inquiſitoris Bononiæ à me viſum, &c. Iudico nihil continere, quod poſſit impedire, ne ſecundum Sac. Canones, Concilium Trid. & Conſtitutiones Apoſtolicas imprimi poſſit. Et in fidem, &c.

Ita cenſeo Ego Fr. Euſtachius Conſonius de Bononia Sac. Theol. Mag. Ord. Prædicatorum.

Imprimatur.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus de Garexio Ordinis Præd. Sacræ Theol. Mag. Vicarius Generalis S. Officij Bonon.

398.874

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. BIBLIOTECA